EX BIBLIOTHECA

P. P. C. LAMMENS.

4

ERVDITO-RVM ALIQVOT VIRORVM DE COMOEDIA

& Comicis uerſibus cõmentatio-
nes; itemq́ in Plautum anno-
tationes: & alia, quibus
totus ferè Plautus
explicatur. Blanchard

Autores ſequens pagina indicabit.



BASILEAE, EX OFFICINA HER-
uagiana, per Euſebium Epiſcopium,
Anno M. D. LXVIII.

Lilij Gregorij Gyraldi, de Comœdia, eiusq́; apparatu.

Iulij Cæſaris Scaligeri, de Comœdiæ origine, & de Comicis uerſibus, liber.

Andreæ Alciati, I. C. clariß. de Plautinorum carminum ratione: item de Plautinis uocabulis Lexicon.

Ioachimi Camerarij de uerſibus comicis, & in Plauti Comœdias annotationes: ab autore recognitæ & auctæ.

Caroli Langij uariæ Plauti lectiones. item,

Adriani Turnebi.

Adriani Iunij.

Cælij Secundi Curionis.

DE COMOEDIA,
EIVS'QVE APPARATV OMNI *& partibus, ex Lilio Gregorio Gyraldo, de Poetis.*

COMOEDIA eſt priuatæ ciuiliſq; fortunæ, ſine uitę periculo comprehenſio. Græci itidem ſic definiunt: κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. Donatus uerò ita: Comœdia eſt fabula, diuerſa conſtituta continens affectuum ciuilium ac priuatorum, qua diſcitur quid ſit in uita utile, quid contrà euitandum. M. Tullius Comœdiam eſſe ait imitationem uitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem ueritatis: id quod eſt uiſus accepiſſe à Liuio Andronico, qui Comœdiam ante Ciceronem eſſe dixerat quotidianæ uitæ ſpeculum: nec iniurià: nam ut intenti ſpeculo ueritatis lineamēta facilè per imagines colligimus, ita lectione Comœdiæ imitationem uitæ, conſuetudiniſq; non ægerrimè animaduertimus. Vnde etiam ſcriptum eſt, Comœdiā eſſe poema ſub imitatione uitæ, atq; ſimilitudine compoſitum. Aliam tamē definitionem affert Ariſtoteles, quæ & alium habet finem: ita enim ait: Comœdia eſt imitatio improbioris quidem, non ad omnem tamen malitiam, ſed turpitudinis quędam eſt ridicula particula. Ridiculum enim peccatum quoddam eſt, & turpitudo doloris expers, corruptionē minimè afferens: ueluti ridicula facies, quæ ſtatim eſt turpe quiddam & peruerſum, ſine dolore. Videtur ex his uerbis Philoſophus innuere, Comœdiam inuentam eſſe ad oblectandos populos: & propterea uaria quæ traduntur de eius inuentione recitabo. Scribit Aelius Donatus, præter ea quæ ſuprà diximus, nondum coactis in urbem Athenienſibus, cum Apollini Nomio, id eſt paſtorum uicinorumq; præſidi Deo, conſtructis aris in ho-

Comœdiæ definitio.

norem diuinæ rei, circum Atticæ uicos, uillas, pagos, compita,feſtum carmen ſolenniter cantarẽt, ortã eſſe Comœdiam,ἀπὸ τοῦ κωμάζειν,quod eſt, comeſſatum ire cantantes.Alij κωμάζειν interpretantur, cum qua dam laſciuia & petulantia ſaltationibus & carminibus indulgere:alij nocturnis etiam amoribus petulãtijsq; operam dare,ut ſolent amatores: quæque plura Græci grammatici colligunt, quæ & ipſi Comœdiæ conuenire poſſunt.Varro ſic inuentam Comœdiã uo luit:Iuuẽtus,inquit,Attica cum circum uicos eſſet ire ſolita,& queſtus ſui cauſa hoc genus carminis pronũciaret,ἀπὸ τοῦ κόμμου,id eſt,luctu,uel ἀπὸ τῶν κώμων, hoc eſt,à pagis & conuenticulis ruſticorum,nomẽ inuenit.Vel certè poſteaquàm ex agris Athenas commi gratum eſt,id quod à Theſeo factum Valerius Maximus & Plutarchus tradunt,hi ludi conſtituti ſunt: ſicut Romæ compitalitij,in quibus ad canendum prodibant:atque à κώμη & ᾠδὴ Comœdia dicta eſt, uel quòd τῶν κωμωδιῶν,id eſt,uiculorum & humilium domuum fortunæ comprehenduntur,non ut in Tragœdia,publicarum regiarumq;.Vel ἀπὸ τοῦ κώμου,hoc eſt,comeſſatione,quæ olim in eiuſmodi fabulis aman tium iuuenum canebantur, dicta eſt Comœdia. Quã etiam ſunt qui dictam putent à Co inſula,in qua Comœdię inuentor exulauit Epicharmus,ut in eius ima gine dicemus. At Græci quidam expoſitores ita tradunt:Cum apud Athenienſes iam bella ſedata eſſent, & ad ocium ciues ſe contuliſſent, cœperũt agreſtibus iniurias inferre:qua cauſa agreſtes ipſi in urbem ſe recipere ſoliti erant,interdiuq; de iniurijs cum apud ciues quererentur,nullus eis tamen opem auxiliumque ferebat.Tum igitur illi noctu, cum mortales omnes ſomno & quieti indulgerent,urbis uicos obeũtes nominatim ciues compellabant,à quibus eſſent iniurijs affecti,eorumq; in ſe malefacta atque delicta in publi cum proferebant.& hæc quidem noctu cum ſæpe uicini audirent,poſtridie audita inter ſe referre ſolebãt,

eique

eiq́ue ciui uitio dabatur, cuius noctu fuiſſent audita conuicia. Cum uerò ea res pleriſque prodeſſe uideretur, nec in ruſticos adeò ſæuirent diuites, cognitũ fuit id ciuitati utile eſſe, quodq́; ea exprobratio quoddã ueluti eſſet malorum remedium. Hac igitur cauſa urbis principes, ut ea in theatrum deferrêtur quæ in ma los ciues noctu iactabantur, iuſſerunt, quòd uidelicet ea res ciuitati ſimul & placeret, & prodeſſet: ſancitũq́;, ut qui ingenio præſtarent, de huiuſmodi rebus carmi na facerent, eaq́ue publicè in theatro recitarent, idq́ue liberè & impunè: quin & præmia addita. Quare cum id noctu agi cœptum eſſet, ἀπὸ τοῦ κώματος, hoc eſt, à ſomno Comœdiam dictam uoluerę. Primi uerò qui huiuſmodi carmina fecerũt, fuiſſe dicti ſunt Suſarion Tripodiſcius, & Rhullus, qui à Diomede grammatico Nullus uocari uidetur, uel (ut ab alijs) Mullus, & Magnes, de quibus in hoc ipſo ſermone, ſuo loco nõnihil meminerimus. Alij non in Attica, ſed in Sicilia re pertam eſſe Comœdiam uoluere. Solinus de Sicilia lo quens: Hic, inquit, primùm inuenta Comœdia, hic & cauillatio comica in ſcena ſtetit. Sed ſi Ariſtotelem in Poetica audiamus, in uarias ſententias mens diſtrahe tur: alicubi enim hoc quod Solinus ait, his uerbis aſtruit: Fabulas, inquit, fingere Epicharmus & Phormus incœpere: atque hoc quidem, ait, primùm ex Sici lia uenit. Athenis uerò primus Crates cœpit, omittẽs prorſus formæ iambicæ fabulas & orationes facere. Idem autem Ariſtoteles cum ſuperius eandem rem tra ctaſſet, ſic ait: Dorienſes, inquit, ſibi Tragœdiam & Co mœdiam uendicarunt, Megarenſes uerò Comœdiam tantum, quoniam apud ipſos democratia, hoc eſt, popularis ſtatus prius ſit cõſtitutus. & qui ex Sicilia ſunt, quòd ſcilicet ibi natus eſt Epicharmus poeta, qui eſt longè prior quàm Chonnides & Magnes fuerint: quo loco legendum potius Chionides, ut ſuo loco oſtendemus, quàm Chonnides. Tum addit: Nonnulli Tragœdiæ initium apud Peloponnenſes fuiſſe uoluerũt, uocabulaq́ue in eius rei ſignum eſſe illi aiunt, *κώμας*

uocitari uillas,ſeu loca circum urbem ædificata: Athenienſes uerò populos ut Comœdos,nõ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν dictos,ſed ea ratione,quòd per uicos & pagos inhonorati neglectiq́, ex urbe errore quodam uagabantur.Item ipſi quidem agere dicunt δρᾶν,Athenienſes uerò πράττειν.Atque hactenus quidem ille totidẽ ferè uerbis.Ex quibus,inquam,omnibus quæ attuli,uidetis quanta ſit uarietas,quanta penè inexplicita opinionum diuerſitas,quas nec temporum nec locorum ratione habita defendere poſſumus. Nunc quid inter Tragœdiã &Comœdiã diſtet,diſquiramus.In Comœdia quidẽ mediocres fortunę hominũ,parui impetus, periculaq́;,lætiq́; ſunt exitus actionũ: at in Tragœdia omnia contraria, ingentes perſonæ, magni timores, exitus funeſti habentur.& illic turbulenta prima, trãquilla ultima,in Tragœdia contrario ordine res agũtur.tum in Tragœdia fugienda uita, in Comœdia capeſſenda exprimitur.poſtremò omnis Comœdia de fictis argumentis,Tragœdiæ ſæpe de hiſtorica fide petitur.Illud etiam à multis quæri ſolet, utrúm ne Tragœdia an Comœdia prior inuenta ſit.quibus his uerbis reſpondet apertè Donatus:Itaque,inquit, ut rerũ, ita etiam temporum ipſorum cœpto ordine, Tragœdia primò prolata eſſe cognoſcitur: nam ut ab incultu & feris moribus paulatim peruentum eſt ad manſuetudinem,urbesq́ue ſunt conditæ,& uita mitior atque ocioſa proceſsit: ita res Tragicæ longè ante Comicas inuentæ.quamuis retrò priſca uoluentibus reperiatur Theſpis Tragœdiæ primus inuentor, & Comœdiæ ueteris pater Eupolis, cum Cratino Ariſtophaneq́ue,eſſe credatur.Plato tamen in Minoe dialogo, Tragœdiam ait longè antiquiorem ciuitatis Athenarum fuiſſe inuentũ, quàm Theſpis ipſe & Phrynichus: niſi fortè malimus Euſebio credere, qui in Chronico ita ſcribit: Quadrageſimaſecunda Olympiade in agone certantibus τράγος, hoc eſt, hircus præmio datus,unde aiũt Tragœdos nuncupatos.hæc ille.

Inter Tragœdiã & Comœdiam quid interſit.

ille. Sed enim Homerus, qui omnis poeticæ largiſsimus fons eſt, his carminibus exempla præbuit, & uelut quadam ſuorum operum lege præſcripſit, qui Iliaden inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ feciſſe monſtratur: id quod & Macrobius aliiq;. Ariſtoteles tamẽ hoc ipſe aliter in Poetica tractat: proportionem enim Tragœdiam habuiſſe ait ad Iliaden & Odyſſeam, Comœdiam uerò ad Margiten eiuſdem Homeri opus, de quo uobis locutus ſum. Atq; ita ait Ariſtoteles Tragicos ab Iliade & Odyſſea, Comicos à Margite ſua duxiſſe poemata. Poſt Tragœdiã ſucceſſit Comœdia uetus: ut ipſa quoq; olim Tragœdia, ſimplex carmen fuit: ſuo uerò tempore moribus multum profuit ciuitatum, cum unuſquiſque caueret, culpa ne & ſpectaculo cæteris extitiſſet, & domeſtico probro. Sed cum poetæ abuti licentius ſtylo, & paſsim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos, ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret lata lege ſanxerũt, id quod etiam in Eupolide planius referemus. Idẽ & apud Romanos factitatum eſt, qui ut in quarto de Republica libro teſtatur Cicero, & Aurelius Auguſtinus in ſecundo de Ciuitate Dei, duodecim tabularum lege cauerunt, ut is capite puniretur, ſi quis actitauiſſet, ſiue carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiúm ue alteri: ſed & mox fuſtuarium ſupplicium conſtituiſſe dicunt in autorem carminum infamiũ, quod innuit Horatius poeta, apertè uerò ſcribit Porphyriõ.

Satyræ exordium.

Poſt legem latam ab Athenienſibus, uoluit Donatus Satyras exordium ſumpſiſſe, de quibus nunc agendum. Has uoluit Acron Athenis cum Dionyſia celebrarentur, à Cratino primũm inductas. Satyræ uerò appellatæ à Satyris ſylueſtribus, quos illotos ſemper ac petulantes deos eſſe ſcimus, & ſimiliter in his ridiculæ res pudendæq; dicuntur. Alij à ſatyra lance, quę referta uarijs multiſq; primitijs, in ſacris priſcorũ deis inferebatur, & à copia & ſaturitate rei Satyra uocabatur: cuius lancis & Vergilius meminit, cum ait,

-Lances & liba feremus.

 Siue

Siue à quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum ſatyram Varro uocitat. Eſt autem hoc poſitum in ſecundo libro Plautinarum quæſtionum: Satyra eſt ubi paſſa & polenta, & nuclei pinei ex mulſo cõſperſi: ad hęc alij addũt, & de malo punico grana. Quidam Satyram dictam putant à lege Satyra, quæ uno rogatu multa ſimul comprehendat, quòd ſcilicet & Satyra carmine multa ſimul poemata comprehenduntur: cuius legis meminit Lucilius in primo:

Per ſatyram ædilem factum qui legibus ſoluat.

& Saluſtius in Iugurtha: Deinde quaſi per ſatyram ſententijs exquiſitis in deditionem accipitur. Meminerũt & huius legis Iuriſperiti, & Canonici, & Iſidorus. Quidam ineptè Saturam per u legendum putant, atq; à ſaturo uerbo deducunt, uel quòd ita conuicia & crimina hominum liberè inuadat, ut ſaturi homines, id eſt, ebrij: quod ſcribit Acron. In ſatyricis uerò fabulis nõ reges & heroes, ſed ſatyri, cani, barbari, imberbes, ſileni, pappi, & ſimiles, ut Autolycus & Burrhus inducebantur, ut eſt apud Pollucem & Diomedem, qui ait ideo ſatyros induci, ut ludendi iocandiq; cauſa eſſent, ſimulq; ut ſpectator inter res tragicas ſeriasq;, ſatyrarum quoque iocis & luſibus delectaretur: quod & Horatius ſentit his uerſibus,

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſtes ſatyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit, eò quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functusq; ſacris & potus & exlex.

Hoc & Ariſtoteles ferè in Poetica. Sed deinde Satyræ ipſæ uerſæ ad conuicia & maledicentiam, ut eſt Satyrorum, qui in his prius inducebantur, natura. Græci uerò expoſitores Satyras ita incœpiſſe tradunt, quod & archæis Comœdijs conuenire uideo. Morem hi aiunt Athenieſibus fuiſſe, cum per pagos adhuc diſperſi uiuerent, & agricolationi inſeruirent, ut cum ab opere & labore ceſſarent, uoluptati genioque indulgerent, atq; inter ſe dicta ridiculis iocisq, referta iactarent:

rent:qui & in deorum ſolennitatibus mos fuit: ſic enim deos laudabant. At hæc in curribus & plauſtris inſilientes factitabant, & exinde in ſcommata & dicteria flectere cœperunt, & in quædam extẽporanea poemata: unde Satyræ, & priſcæ exortæ ſunt Comœdiæ. Atq; quòd ex plauſtris id primùm factitatum eſt, Græcis uerbum inoleuit ἐξαμάξω, quod in eos qui conuiciantur & maledicunt, uſurpari ſolet: quod ſi non uidit Eraſmus, illud certè quod idem eſt, multis eſt executus, ἐξ ἁμάξης λαλεῖν, hoc eſt, de plauſtro loqui. Sed quod de plauſtris poemata recitarentur, meminit & Horatius, cum ait,

Dicitur & plauſtris uexiſſe poemata Theſpis.

At uerò Chamæleon in eo quem de Theſpide libro compoſuit, & Suidas tradũt, apud antiquos ante poetas de Dionyſo ſcripſiſſe, & in ijs certaſſe, quæ poemata ſatyrica dicebantur: poſterius uerò cum Tragœdias ſcribere cœpiſſent, paulatimq; ad fabulas & hiſtorias conuerſi eſſent, nullam de Dionyſo mentionem faciebant, ex quo illud factũ eſt prouerbiũ, Nihil ad Dionyſum. Quòd ſi uera ſcribunt, antiquior Satyra quàm Tragœdia eſſe uideretur, quod nos non ita eſſe oſtendimus. Sed ne à propoſito recedamus, eiuſmodi ſatyrica fabula fuiſſe proditur, ut in ea, quamuis duro & ueluti agreſti modo, de uitijs ciuium, tamen ſine ullo proprij nominis titulo carmẽ eſſet: quod genus fabulæ multis obfuit poetis, cum in ſuſpicionem potentibus ciuibus ueniſſent, illorum facta reſcripſiſſe in peius, ac deformaſſe genus ſtylo carminis: quod primò Lucilius nouo conſcripſit modo, ut poeſin inde faceret, id eſt, unius carminis plures libros: unde noſtra tota latina manauit Satyra, qua poſt Lucilium, Horatius, Perſius, Iuuenalis, alij claruerũt, de quibus egimus. Hoc ergo, quod ſuprà diximus, malo poetæ coacti ſunt omittere Satyram, & aliud genus carminis τὴν νέαν κωμῳδίαν, hoc eſt, nouam Comœdiam reperêre poetæ, quæ argumento communi magis, & generaliter ad omnes homines qui mediocribus fortu-

nis agunt, pertineret, & minus amaritudinis ſpectato ribus, & eadem opera multum delectationis afferret, concinna argumento, conſuetudiue cõgrua, utilis ſen tentijs, grata ſalibus, apta metro. Sunt igitur tres comœdiarum differentiæ, quas ita recenſet Platonius: unam inquit archæam eſſe, hoc eſt, priſcã: alterã νέαν, id eſt, nouam: tertiam μέσαν, id eſt, mediam: quarum unaquæq; proprias quaſdam uirtutes habet. Sed de hac fabularum diuiſione, cui & poetæ ipſi ſubduntur, ut infrà uidebitis, frequens eſt apud Athenæum & Suidam mentio, nec eam ignorauit Latinus Diomedes. Sed iam dictũ ſit de Comœdia ſatis. Nunc ad Mimos

Mimus quid. tranſeamus. Mimus eſt ſermonis cuiuslibet motus ſine reuerentia, uel factorũ cum laſciuia imitatio. Mimus dictus eſt à diuturna imitatione uilium rerum & leuium perſonarũ, ut ait Donatus: uel ut Diomedes, quòd quaſi ſolus imitetur, παρὰ τὸ μιμεῖσθαι, cum & alia poemata idem faciant, ſed ſolus, quaſi priuilegio quodam, quod fuit cõmune poſſedit. Sanè ab ea imitatione prouerbij uice Theophilus μίμος ὁ βίος dixit, quòd ſcilicet uita noſtra ſit Mimo ſimilis. Vnde & illa apud Fulgentium Beatinij ſeu Vatinij Vrbici mimologi ſimilitudo ad ridiculos honores, ut ipſe ait, citius fugitiuos. Apollonius quoq; Tyaneus tyrannos ſimiles eſſe dicere ſolitus erat mimorum regibus, qui modò ſummi ſunt, modò imi. Ab ea igitur imitatione Græcè Mimus poema & actor dicitur. Latinè uerò, Diomede teſte, Planipes & Planipedia fabula, ſic ob humilitatem argumenti eius ac uilitatem actorũ uocata: mimi enim non cothurno aut ſocco utuntur in ſcena, aut pulpito, ſed plano pede, hoc eſt, nudo, ut ait Feſtus. uel quòd in plano orcheſtræ poſitis inſtrumentis mimicis fabulam agitarent. uel ideo, quòd non ea negocia continet Planipedia, quæ perſonarum in turribus, aut in cœnaculis habitantiũ ſunt, ſed in plano & humili loco: unde & humilis locus dictus eſt, planus pes, quomodo Victruuius in primo uſus eſt: Sed, inquit,

inquit,nõ in omnib.locis eſt aggeris ratio faciẽda,niſi quibus extra murũ ex alto loco plano pede acceſſus fuerit ad mœnia oppugnanda. quẽ imitatus eſt is qui ex Antyllo Oribaſiũ eſt interpretatus in 9. Collectaneorũ libro:Plano pede,inquit, & terreno habitationes & cubicula,grauiter & acutè languẽtib.cõmodiora ſunt,quàm in ſolarijs & tabulatis. qua ratione Planipes & Planipedia dicitur.Alij ineptè à Plano prima correpta,id eſt,fatuo & impoſtore, planipedẽ dictum putant.Planipedis Actius togatarũ ſcriptor meminit in Aedilitia fabula:Datũ eſt,inquit,aurũ, exultat planipes. Meminit itẽ Fabius Quintilianus : Vt Caſsius, qui iſtam faciẽ planipedis ſenis torques. Itẽ ad Paulũ Auſonius. Sedenim Mimorũ autores & poetæ uarijs nominib.dicũtur:nam & Mimographi, & Mimologi, & Mimijambi uocati ſunt.Mimorũ uerò ſpecies lõgè plures,ut eſt apud Pollucẽ,Suidam,Strabonẽ, & Athenæũ copioſius.nam & maſculi & fœminæ Mimi dicti ſunt,& Hilarodi,qui & ab autore Simodi : ſunt & qui Magodi,& ab his parũ differẽter Lyſiodi, itẽ Sotadici ab autore,qui & Ionici. Sunt quoq; Cinædologi, qui & Cinædi,de quibus præcipuè Ariſtocles in eo quem de Muſica libro ſcripſit.Diceliſtæ quidem, ut Soſibius Lacon grammaticus ait,ex Comœdiarũ genere ſunt. Sed uerius Mimi à Lacedæmonijs,teſte Plutarcho, uocantur:quorũ diuerſæ ſunt ſpecies:nam & à locis interdũ uocantur,ut Sicyonij,Thebani,Itali. Sunt uerò inter hos præcipui qui Phallophori & Autocabdali, uel ut alij,Adocabdali uocati ſunt,quorũ hi coronati, illi etiam ſine perſona in ſcenam prodibant : de his Athenæus & Suidas multa. Decelictan (niſi ſit error in codice) Plutarchus in Laconicis apophth.mimum à Lacedæmonijs uocari ait : nam & Eudemus ſcribit *δείκελον* ſimulachrum & exemplar ſignificare. Inter mimorum prætcrea genera & Phryax , & Ethelontes, quì & ſophiſta , & Ethologus interdum dicitur , reponuntur. Sunt item Iambi , & Mimijambi , & Ithyphalli . Eſt uerò inter mimos caſtior Hilarodos: nam

nam & propterea alba ueſte, & corona aurea, & calceis utebatur, ut ſcribit Ariſtocles. Magodus autem cymbala & tympana habebat, & ueſtes muliebres, eumq; ad Comœdiam pertinere Ariſtoxenus prodidit. Sunt qui Magodian inde dictam exiſtiment, quòd in ea magica, & pharmacorum poteſtates proferrentur. Sed Pantomimus à multifaria, ut Caſsiodorus ait, imitatione nomen habet: cum primùm in ſcenam plauſibus inuitatus aduenerit, aſsiſtunt conſoni chori diuerſis organis eruditi, tunc ille ſenſum manibus, oculis canorum carmen exponit, & per ſigna compoſita, quaſi quibuſdam literis edocet intuentis aſpectum in illa quæ dicuntur apices rerum, & non ſcribendo facit, quod ſcriptura declarauit. Idem corpus Herculem deſignat & Venerem, fœminam repræſentat in mare, minari Regẽ facit & militem, ſenem reddit & iuuenẽ, & in uno credas eſſe multos, tum uaria imitatione diſcretos. & hęc quidem de Pantomimo in libris uariarum Caſsiodorus. Lucianus uerò cõſona his in eo qui περὶ ὀρχήσεως inſcribitur: Non indecenter, inquit, & Itali ſaltatorem Pantomimum uocant, ab eo quod factum eſt. & cætera, quæ paulo pòſt uobis afferam, cum de ſcenæ ſaltationibus agemus. Meminit & Pantomimi Seneca, Plinius, Diomedes, Capitolinus, alij. Suetonius, primis, inquit, temporibus quæcunque in ſcena fierent, in Comœdia quoque agitari conſueuiſſe: nam & Pantomimus & choraules in Comœdia canebant, poſtea ſeparata ſunt comœdorum à pantomimis artificia. Cauſam uerõ Diomedes exequitur. Quidam Pantomimorum duo genera faciunt, mythicum, & ſcenicum. Illud eſt etiam uobis obſeruandum, quòd ſicut Mimus pro poemate & hiſtrione capitur, ſic etiam Pantomimus. Sanè hiſtrio, quoniam & hoc ad propoſitum facit, uocabulum eſt Latinũ (τεχνίτης Διονύσου Græcè dictus eſt) uel ab Hiſtrio Hetruſco ludione, qui, ut Ruffus & Plutarchus tradunt, Romam accitus fuit, cæteris peſtilẽtia abſumptis: uel quòd eo nomine ab Hetruſcis uocarentur ludiones, ut Liuius & Valerius Maximus ſcribunt:

bunt: uel ab Hiſtria regione, ut Pompeius Feſtus ait. Sed & ludios & ludiones hiſtriones uocamus, uel à Lydis, id eſt, Hetruſcis: uel à ludo, ut grammatici obſeruant. Ouidius:

Ludius æquatam ter pede pulſat humum.

Hinc & Ludia fœmina Iuuenali & Martiali. Sunt & in hoc genere hiſtrionum apud Græcos Tragœdi & Comœdi. Nec id uos latêre uelim, non apud Romanos modò infames ac famoſos fuiſſe hiſtriones, ſed etiam apud Græcos. Ariſtoteles ſiquidẽ in Problematis cauſam perquirit, cur hiſtriones improbis ſint moribus magna ex parte: refert ille, quòd ſolidæ ſapientiæ minus dent operam, & ſint incontinentes. Apud noſtros uerò cùm per leges pontificias & ciuiles damnantur, tum præcipuè in tertio Digeſtorum, ubi hi qui in ſcenam ob præmium prodierint, & omnes qui operas ſuas locauerint arti ludicræ, famoſi eſſe iubentur. Marcus quoque Cicero in libris de Republica, eos probro duci ex uerbis Scipionis tradit, & non modò honore ciuium reliquorum carere, ſed etiã tribu amoueri notatione cenſoria. Idem ſcribit Aurelius Auguſtinus. Nonnullos tamen in hiſtorijs legimus & diuites factos, & in honore habito, ut apud Gręcos Polus Chariclei filius Sunienſis, & Satyrus Theogitonis, Marathonius & Ariſtodemus, cuius aliàs meminerim: & apud Latinos Bathyllus, Pylades, & huius diſcipulus Hylas, & his priores Roſcius & Aeſopus. Sed & hodie ipſe noui qui ſacerdotia, & quidem ampla, hac hiſtrionica arte ſunt aſſecuti. Porrò hiſtriones, ludij, artifices, perſonæ, & actores, ijdem ferè ſunt: qui & primarum & ſecundarum partium ac tertiarum etiam dicũtur. quando uidelicet ſępius in fabularum actibus ingrediuntur, primarum partium actores uocantur: ſecundarum, cum minus: tertiarum uerò, cum eo minus in ſcena agunt. Hinc Terentius:

Primas partes qui aget, is erit Phormio.

Horatius in Epiſtolis:

Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro

Reddere,

Reddere, uel partes mimum tractare ſecundas.

M. Tullius in Verrem: Vt, inquit, in actoribus Græcis fieri uidemus, ſæpe illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium, cum poſsit aliquantò clarius dicere, quàm ipſe primarũ, multò ſummittere. Quo loco Aſconius Pædianus: Actoribus, inquit, Græcis palliatarum ſcilicet ſabularum: in ijs enim etiã ſi Latinæ ſunt, Græca omnia ſeruantur: nam Latinæ ſabulæ per pauciores agebantur perſonas, ut Attellanæ, togatæ, & huiuſmodi alię. Tum mox idem ſubdit: Comœdia quinque actus habet, hoc eſt, quinquies dicitur in ſcena. Eſt ergo perſona primarum partium, quę ſæpius actu regreditur. Secundarum & tertiarum, quæ minus minuſq; procedunt. Nunc illud etiam annotandũ, quod locupletius tamẽ primo ſermone narraui, ſcenã quoque in primis proprias & peculiares ſaltationes habuiſſe, Emmeleiam tragicã, Cordaca comicam, Sicinnin Satyricam: quanquam alij aliter, ut in primo oſtẽdimus. Hoc uerò loco illud addendum quod de ſaltatione Lucianus ſcribit, priſco uidelicet tempore eoſdem & cantores, & ſaltatores fuiſſe: ſed demum cum animaduerterẽt aſsiduo ſaltandi modo anhelitũ immutari, & propterea cantum turbari, magis è re fieri cenſuerunt, ſi canẽtes alij, alij ſaltantes eſſent: id quod & hodie commodius fieri uidemus. Ea autẽ laus maxima in fabulis agendis ſaltatoribus dabatur, ut perſonis in ſcenam introductis ſaltatores ipſi per omnia geſtu ac motu reſponderent, ne ab introductis diſcreparent, ut in unoquoq; demonſtraretur proprietas & excellentia. Sed præſtat ut audiatis quæ de ſaltatoribus ex Luciano excerpſi. Oportet, inquit, ſpectantem ſaltationem, quod ait Pythicum oraculum, & mutum intelligere, & non loquentẽ ſaltatorem audire: quod & Demetrio Cynico contigiſſe aiunt, qui & ipſe orcheſticen, id eſt, ſaltationis artem accuſabat: dicebat enim, tibiarum & fiſtularũ & ſonitus parergon quoddam ſaltatorẽ eſſe, hoc eſt, præter rem additamentũ, & nihil ad fabulæ perfectionem afferre. Subiungit hiſtoriam,

Saltationes.

ſtoriam,quā & uobis,ſi libet,recitabo. Imò,inquit Piſo,utriq; placet. Erat,inquam ego,cum Nerone ſaltator quidam eximius,nec,ut dicebant, imprudens, ſed ſi quis alius in hiſtoriæ uel fabulæ memoria,& motus elegantia præcellens:hic Demetriū Cynicū ſapientiſſima,ut uiſum eſt,oratione precatus eſt, ut ſe ſaltantē uideret,& ipſum deinde accuſaret: recepitque ſine tibijs,ſine canticis,ſeſe illi oſtenſurū:ut & fecit, & ſilentio indicto ſonis & tibijs chori,ipſe per ſeſe ſaltare cœpit Veneris & Martis adulteriū, Solē id manifeſtantē, & Vulcanū dolum cogitantē, & ambos, Venerē ſcilicet & Martē,uinculis irretitos,deosq; ſpectaculo aſsiſtentes,Venerē pudore ſuffuſam,Martē ſubuerentē & ſupplicantem,omnia deniq; quæ hac ipſa fabula contenta ſunt, adeò ut Demetrius his factis exhilaratus, maximam hanc retribuerit ſaltatori laudem:exclamauit enim,& magna uoce pronunciauit,ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς,οὐχ ὁρῶ μόνον,ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. hoc eſt,ô homo,audio quæ facis,nō ſolū uideo,ſed ipſis uideris mihi loqui manibus. Alias hac de re hiſtorias addit idem Lucianus, quæ breuitatis cauſa prætereo. Vnum hoc non ſilebo: Cum barbarus fortè quiſpiā perſonas quinq; paratas uideret (quinque enim actibus conſtat fabula) & nō niſi orcheſten unū,id eſt,ſaltatorē,quínam quæſo, dixit,quatuor reliquas perſonas aget,& cum unū illi reſponſum fuiſſet,tunc barbarus, O optime, fefelliſti, inquit,corpus iſtud quidem unū,multas uerò habēs animas. hoc eſt Græcè,ἐλελήθει ὦ βέλτιστε,σῶμα μὲν τοῦτο ἕν,πολλὰς δὲ τὰς ψυχὰς ἔχων. Atq; de ſcenicis ſaltationibus hactenus:quare reliqua quę reſtant,ſubiūgamus. Scribit Acron Horatianus interpres,ſex eſſe Comœdiarum genera,Statariā,Motoriā,Prętextatā,Tabernariā,Togatam,& Palliatā:cū nos tamē multò plures ex probatis autoribus collegerimus, quas hoc uobis loco cōmemorabo. Togatæ igitur,ut ab his incipiā, fabulæ dicuntur,quæ ſcriptæ ſunt ſecundum ritum & habitus homi-

Comœdiarum genera.

hominum togatorum,id eſt,Romanorum:unde & togatarius hiſtrio appellatus eſt.Suetonius in Auguſto, Stephanionem togatarium uocat,cuius & Plinius meminit:Minus,inquit,miror Stephanionē, qui primus togatas ſaltare inſtituit.Toga nanque, ut planè ſcitis, Romana eſt ueſtis:unde togatæ: ueluti fabulas Græcas ab habitu æquè palliatas Varro ait nominari. Me fugit an & hæ ab Aelio Donato in Adelphorum comment.crepidatæ uocitentur,quòd crepidæ Graiorum ſunt,ut pallia:an magis,quòd in quodam fabularum genere crepidis uterentur.Togatas quidē, cum ſit generale nomen,ſpecialiter tamen pro tabernarijs non modò communis error uſurpat,quòd Fannius &Togatas appellat,ſed & poetæ,ut Horatius,qui ait:

Vel qui prætextas,uel qui docuere togatas.

Togatarum fabularum tot ferè ſunt ſpecies, quot & Palliatarum.Nam prima ſpecies eſt, quæ Prætextatæ dicuntur,in quibus Imperatorum negocia agebātur, & publica,& reges Romani, uel duces inducebantur, perſonarum dignitate & ſublimitate Tragœdijs ſimiles.Prætextatæ autem dicuntur, quia ferè regum uel magiſtratuum,qui prætexta utuntur in ipſis fabulis, acta comprehenduntur.Prætextata uerò in hoc à Tragœdia differt,quòd in Tragœdia heroes introducuntur,in Prætextata Romanæ perſonæ, ut Brutus, Decius.Altera Togatarum ſpecies Tabernariæ dicuntur, humilitate perſonarum & argumentorum ſimilitudine Comœdijs pares:in quib.nō magiſtratus regesq;, ſed humiles & priuatæ perſonæ inducuntur, quòd olim tabulis tegerentur domus priuatorum,nuncupatę.Tabernaria differt à Comœdia,quòd in Comœdia Græci ritus inducuntur,perſonæq; Græcæ,in hac uerò Latinę.In Tabernarijs Aphranius & Ennius floruere.Tabernarias eo uerſu innuit Horatius:

Migret in obſcuras humili ſermone tabernas.

Attellanæ & ipſæ Latinæ ſunt fabulæ, ut iam dictum eſt,iocis & ſalibus compoſitæ, quæ in ſe non habent niſi uetuſtam elegantiam,ab Oſcorū ciuitate uel Cam

paniæ

paniæ (ut ait Donatus) Attella, quæ nunc auerſa uulgò exiſtimatur, dictæ, in qua primùm cœptæ ſunt, argumentis dictisq; iocularibus ſimiles ſatyricis fabulis Græcis. Attellanæ à Satyra differunt, quòd in Satyris ferè Satyrorum perſonæ inducuntur, aut ſi quæ ridiculæ ſunt Satyris ſimiles, ut Silenus, Autolycus, & Burrhus: in Attellana obſcœnæ perſonæ. Sanè & perſonata fabula fuit, quam quidam putant primùm à perſonatis hiſtrionibus dictam: ſed cum poſt multos annos Comoedi perſonis uti cœpere, ueriſimilius eſſe ait Sextus Pompeius, eam propter inopiam Comœdorũ actam nouã per Attellanos, qui propriè uocãtur perſonati, quia ijs ius fuit non cogi in ſcenam ponere perſonã, quod cæteris hiſtrionibus pati neceſſe fuit. Rhinthonicæ fabulæ dictæ ſunt ab autoris nomine, ut ait Donatus. Sed qui fuerit Rhinthon, nos ſuo loco dicemus. Sunt uerò Rhinthonicæ Hilarotragœdiæ dictæ, & Italicæ. Eſt illa præterea fabularum differẽtia, quòd ſtatariæ aliquæ, aliæ motoriæ, & mixtæ quædam dicuntur. Statariæ, quietiores: motoriæ, turbulentę: mixtæ, ex utroq; actu conſiſtunt. Alij ſic: Statariæ, aiunt, res continent quietiores, ut Ciſtellaria. Motoriæ, res turbulentas inducunt, ut Amphitryo. Mixtæ, quæ ex utroq; conſiſtunt, ut Eunuchus. Atque hucuſq; quantum de fabulis à principio ſum pollicitus. quędã tamen his ſuperaddam, quæ ad fabularum cognitionẽ uobis cõducere exiſtimo. Nos uerò, inquit Picus puer, te libenter audimus: ſed peruelim dicas, cur nõ ita Comœdiam in partes, ut Tragœdiam diuiſiſti: iamdudum enim iſtuc ipſum expectamus. Et id, inquã, eram dicturus, ſed paulo pòſt: uerùm quando ita uos uelle uideo, id in præſentia agam. Membra, inquã, Comœdiæ, teſte Diomede, tria ſunt: Diuerbium, Canticum, Chorus. In Latinis duo tantum, quòd in Comœdijs nos choro caremus. Sunt uerò Diuerbia Comœdiarũ partes, in quibus diuerſorum perſonæ uerſantur. Perſonæ autem diuerbiorum aut duæ, aut tres, aut raro quatuor eſſe debent: quod & noſter Horatius aſtruit,

Comœdiæ diuiſio.

cum ait: Nec quarta loqui perſona laboret. ultra enim augere loquentiũ numerum non licet. In canticis una tantum eſſe debet perſona, aut ſi duæ fuerint, ita debent eſſe, ut ex occulto una audiat, nec loquatur, ſed ſecum ſi opus fuerit uerba faciat. Chori apud ſcenæ poetas frequentes, ducti ex antiqua inſtitutione, quæ fuit, ut Maximus Tyrius ſcribit, talis: Antiqua, inquit, Athenienſium Muſa in choris conſiſtebat, chori uerò ex pueris & uiris conſtabant, ruris colonis tributim congregatis, qui necdum depoſito puluere, quem ex agro nuper uel ſato, uel arato contraxiſſent, carmina tunc primùm compoſita canebant: à qua re animus paulatim ad aliam artem declinans cum propter dulcedinem eius ſitim explere non poterat, in theatris ac ſcenis corrumpendæ ciuitatis principium fecit. hæc Maximus. Chori igitur in fabulis ita inducti, qui licet in Latinis non ſint Comœdijs, ſunt tamen in Tragœdijs: atq; ideo nonnulla uobis afferam, quæ cognitione non indigna cenſeo. Priſcis igitur temporibus chori in plauſtris conſtituti circa uicos Tragœdias dicebant, ut ſcribit Acron: quin, ut eſt apud Laertium, chorus ipſe totam fabulam agebat, cum nondum hiſtriones eſſent. poſtmodum Theſpis hiſtrionem unum inuenit, ut chorus aliquando quieſceret. mox Aeſchylus ſecundum adhibuit, &, ut ait Ariſtot. πρωταγωνιστήν. Tertium uerò & ſcenæ deſcriptionem, quam Græci σκηνογραφίαν uocant, addidit Sophocles: unde & à Græcis quibuſdam τριταγωνιστὴ eſt uocitata, id quod & in Sophoclis imagine dicemus. atq; in hunc fermè modum conſummata eſt Tragœdia. Canticũ quoq;, ait Vitruuius, Græci poetæ Comici interponentes è choro, diuiſerunt fabularum ſpatia, atq; ita cubica ratione partes facientes, intercapedinibus leuarũt actorum pronunciationes. Quæ autem in choro agenda & tractanda ſunt, ita exequitur Horatius, ut nullius melius uerbis, quàm illius uerſibus ſint tradita, ſi modò probè uerſus ipſi intelligantur: perperàm enim

In Commentarijs exponuntur:

Autoris, inquit, partes chorus, officiumq́; uirile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis faueat, & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſæ breuis, ille ſalubrem
Iuſtitiam, legesq́; & apertis ocia portis.
Ille tegat commiſſa, deosq́; precetur & oret,
Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.

Et ita quidem Horatius de ijs quæ in Choris tractanda. Modeſtus uerò Columella de Chori numeris & certa canendi lege hoc modo, ut mihi quidem uidetur, rectè prodidit: Nam ubi chorus, inquit, canentiũ non ad certos modos, neq; numeris præeuntis magiſtri conſenſit, diſſonum quiddam & tumultuoſum audientibus canere uidetur: at ubi certis numeris ac pedibus, uelut facta conſpiratione conſenſit, atq; concinuit, ex eiuſdem uocum concordia non ſolùm ipſis canentibus amicum quiddam, & dulce reſonat, uerumetiam ſpectãtes audientesq́; lætiſsima uoluptate permulcentur. Quæ Columellæ uerba ſumpta uidentur ex Xenophontis Oeconomico. A quo præterea & illud ſcriptum legimus, & Chorum alium eſſe, qui Cyclius uocetur, pulchrum exhibens ſpectaculum: nam ſpatio intermedio uacuo puroq́;, pulchram admodũ ſpeciem offert ſpectanti. Hinc tanta igitur apud antiquos Græcos Chori cura & uoluptas fuit. Et licet Latini grammatici in choris numerum perſonarum nõ eſſe definitum aiunt, quippe quòd iunctim omnes loqui debeant, quaſi uoce confuſâ, & concentum in unam perſonam reformantes, Græci tamen in Tragœdiæ choro perſonas XV. à Sophocle demum inſtitutas habuere, cùm antea ex duodecim tantummodo chorus conſtaret. In Comœdia uerò perſonas uigintiquatuor eſſe debere tradunt. Sed nec illud uos latêre uolo, quod ex Græcis didici: Chorus, inquiunt, Comicus in orcheſtram, quæ nunc demum

λεγεῖον dicitur,inducebatur: qui cum hiſtriones allo-quer etur,ſcenam ſpectabat:cum uerò hi abirēt, ad populum conuertebatur,& στροφὴ dicebatur, & quidem iambicis tetrametris fiebat: tum & ijſdem iambicis ἀντίστροφος adijciebatur: erant ut plurimum ęę ſedecim carminum: uocabantur autem hæc ἐπιῤῥήματα, id eſt,aduerbia. Totius autē Chori tranſitus, hoc eſt, παράβασις,ideo dicebatur, quòd ab legitima ſtatione in aduerſum theatri ac ſpectaculi proſpectum tranſitus fieret,id quod agebatur cum aliquid per chorum poeta pronunciare uellet præter rei ſubiectæ argumētum ſine hiſtrionibus. Παρηγορήματα dicta fuere, cum Chorus aliquid ageret intus, quod tamen in theatro exaudiretur,uelut Ranarum chorus apud Ariſtophanem,& eiuſmodi alia. Sed denique Chori totius ordines,eiusq; partes & nomina,cantica etiam & ſaltationes curioſè admodum Græci,& in primis Pollux exequitur. Sanè fabularū cantica,ut ſcribit Donatus,modis temperabantur,non à poeta, ſed à perito artis muſicæ factis: neque enim omnia ijſdem modis in uno cantico agebantur,ſed ſæpe mutatis, ut ſignificāt qui tres numeros ponunt in Comœdijs, quæ tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huiuſmodi modos faciebant,nomen in principio fabulæ & ſcriptoris & actoris ſuperponebant.Huiuſmodi adeò carmina ad tibias fiebant,ut his auditis multi ex populo antè diſcerēt,quam fabulā acturi ſcenici eſſent, quàm omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronunciaretur.Agebantur autem tibijs paribus aut imparibus,& dextris aut ſiniſtris:& dextræ quidem ſua grauitate ſeriem dictionemq; Comœdiæ pronunciabant:ſiniſtræ & Serranæ, acuminis leuitate iocum in Comœdia oſtendebant: ubi autem dextra & ſiniſtra acta fabula inſcribebatur, mixtim ioci & grauitates denunciabantur. Varro quidem dextram non aliam quàm ſiniſtram tradit,ita tamen,inquit, ut quodammodo altera alteri coniuncta : altera enim eiuſdē car-

minis

minis modorum incentiua, altera ſuccẽtiua. Sedenim Seruius in nono: Tibiæ, inquit, Serranæ dicuntur, quæ ſunt pares, & æquales habent cauernas: aut Phrygiæ, quæ impares ſunt, & inæquales habent cauernas. Ergo cum dicit Vergilius,

-Biforem dat tibia cantum,

biforem dixit diſſonum, & diſsimilem: non enim ſunt pari modulatione compoſitæ: nam ut aït Varro, tibia Phrygia dextra unum habet foramẽ, ſiniſtra duo, quorum unum acutum ſonum habet, alterum grauẽ. Scribit tamen Diomedes, quòd cum paribus tibijs uel imparibus inuenimus ſcriptum, hoc ſignificare, quòd ſi quando monodio agebant, unam tibiam inflabant: ſi quando ſynodio, utranque. quando uerò chorus canebat, choricis tibijs, id eſt, choraulicis artifex concinebat, in canticis autem choraulicis reſponſabat. Erant autem præter has quas diximus, tibiarum genera alia, Prȩcentoria, Vaſca, Puellatoria, Miluina, Gingrina, quam quidam perperàm Giguicam uocant: tum erat & Lydia, quæ & Corania, uel Choraulia: erat & Corinthia, & Aegyptia, itemque Gingria: erant & Aſſæ, aliæq;. Sed de tibijs hactenus: nam ſi quæ traduntur à Grȩcis & à noſtris, nunc uobis colligere uelim, quóue repertȩ modo, nimius ſim: quare ipſius iam partes Comœdiæ, quas Pice deſideras, attende. Sunt uerò, ut Donatus ſcribit, Prologus, Protheſis, Epitaſis, & Cataſtrophe. Prologus eſt uelut præfatio quædam fabulæ, in quo ſolo præter argumentum aliquid ad populũ, uel ex poetæ, uel ex ipſius fabulæ, uel ex actoris commodo loqui licet. Vel ſic: Prologus eſt antecedens ueram fabulæ compoſitionem elocutio. Inter uerò prologũ & prologium hoc intereſſe uoluerũt, quòd prologus eſt ubi aut poeta excuſatur, aut fabula commendatur. prologium autem eſt, cum argumentum tantum deſcribitur: uel, ut ait Donatus, cum tantum de argumẽto deducitur. Sanè prologium, ut ait Feſtus, & proloquium ab antiquis dicebatur. Illud tamen etiam uos ſcire oportet, Græcos noſtro more prologos in Co-

mœdijs non habuiſſe. Protheſis eſt primus actus fabulæ, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur, ad populi expectationem tenendam. Epitaſis inuolutio eſt argumenti, cuius elegantia connectitur. Vel ſic: Epitaſis eſt incrementum proceſſusq; turbarum, ac totius, ut ita dixerim, modus erroris. Illa, id eſt, protheſis, latinè propoſitio, hæc intẽtio dici poteſt. Cataſtrophe uerò eſt explicatio fabulæ, per quam euentus eius approbatur. Vel ſic: Cataſtrophe conuerſio rerũ eſt, ad iucundos exitus patefacta cunctis, cognitione geſtorum. Sanè Cataſtrophe apud Græcos aliquando prouerbij uice uſurpatur, & à Luciano in primis. Crates quoq; Mallotes & Dionyſius in quatuor partes fabulam dirimunt, ſed non ſicut Latini, nec ijſdem nominibus: quippe qui prologum, chori melos, Epiſodion & Exodum appellarunt. Et prologum quidem uſq; ad Chori ingreſſum eſſe dixerunt, in ingreſſu uerò Chori locutionem, Chori melos. At Epiſodion melos eſſe uolunt, inter cantus & Chorum binorum locutiones. Exodum autem aiunt, uſq; ad Chori finem, locutionem. Sed hæc in Græcis, in Latinis uerò fabulis parum congruunt. Porrò ex Latinis ſcriptoribus quidam in quinque partes diuiſere, & ijs quatuor partibus ſupradictis Argumentum addidere. Quinq; etiam ſunt actus fabularum, hoc eſt, ut ait Pædianus, quinquies dicitur in ſcena: neque enim uel productiores, uel contractiores eſſe debent ſcenicæ fabulæ, ſic Horatio canente:

Néue minor quinto, neu ſit productior actu
Fabula, quæ poſci uult, & ſpectata reponi.

adeò ut res uſq; ſit in uitæ quoq; prouerbiũ deducta, Actus extremus, uel ſupremus: tametſi hodie hoc nõnulli parum interdum obſeruant, multò contractiores fabulas actitantes, & præcipuè in Hetruria. Actus uerò fabularum apud antiquos facilè diſcernebãtur, quoniã ab unoquoq; Chorus intercinebat: paulatim dein is in Comœdia ſublatus eſt: ex qua re factum, ut in Latinis fabulis haud facilè plerunque diſtinguantur,

tur, quod noſtri Comici choro penitus abſtinuerũt. Quo tamen modo, & unde diſtingui poſsint, operæprecium duxi hoc uobis loco Donati uerbis ſignificare. Principio, inquit, dicendum eſt, nullam perſonam egreſſam quinquies, ultrà exire poſſe. Sed illa re plerunque decipimur, quòd perſonam, cum tacuerit, egreſſam falſo putamus, quæ nihilominus in proſcenio tacens loquendi tempus expectat. Eſt igitur attentè animaduertendum, ubi & quando ſcena uacua fit ab omnibus perſonis, ut in ea chorus uel tibicen audiri poſsit: quod cum uiderimus, ibi actum eſſe finitum debemus agnoſcere. Confundit ſæpe lectorẽ id, quòd perſona in ſuperiori ſcena deſinens, & in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingreſſa: quod ipſum experientes ſtatim dijudicant de rerum ac temporum quantitate: poteſt enim fieri ut & ingreſſa ſit ac egreſſa, quam prauè credimus de proſcenio non receſsiſſe. Poſſe autem quinto egredi perſonam, non & neceſſe eſſe, dicimus, ut appareat ultrà exire nõ poſſe. In Tragœdia & parcius exire, & ſolere pariter & licere. atque hæc quidem Donatus. Nunc & de ſcena uobis, quoniam & res & locus expoſcit, aliquid dicere non pigebit. Erat uerò ſcena antiquis umbraculum, ex arborum frondibus umbræ cauſa à ruſticis conſtitutum, id quod *σκιών* ſignificat: ubi feſtis diebus cõuenientes, diuerſa ludorum & iocorum genera exercebant: id quod & hodie in pagis multis in locis ſeruari uidemus. Hac de re Caſsiodorus libro uariarum quarto ſic ait: Theatri frõs ſcena dicitur, ab umbra luci denſiſsima, ubi à paſtoribus, inchoante uerno tempore, diuerſis ſonis carmina canebantur: ibi actus muſicus & prudentiſsimi ſeculi dicta floruerunt. Tria tamen poſtea facta ſunt ſcenarum genera, ut autor eſt Vitruuius: unum Tragicũ, alterum Comicũ, tertiũ Satyricũ: quorũ ornatus inter ſe diſsimili erãt diſpariq; ratione. nãq; Tragicæ deformatæ colũnis fuerãt, & faſtigijs & ſignis, reliquisq; regalib. rebus: Comicæ aũt,

Scena.

ædificiorum priuatorum & mœnianorum habēt ſpeciem, proſpectusq́; feneſtris diſpoſitos, imitatione & communium ædificiorum ratione. Agatharchus Athenis dicitur, Aeſchylo Tragœdiam docente, ſcenam huiuſmodi feciſſe, & de ea commentarium reliquiſſe. Ex eo moniti Democritus & Anaxagoras de eadē re ſcripſerunt, quemadmodum oporteat ad aciem oculorū radiorumq́; extenſionem, certo loco centro conſtituto, ad lineas ratione naturali reſpondere, uti de incerta re certæ imagines ædificiorum in ſcenarum picturis redderent ſpeciem: & quæ in directis planisq́; frontibus ſint figurata, alia aſcendentia, alia prominentia eſſe uideantur. Et ego conſtructas huiuſmodi ligneas, cùm Romæ aliquando, tum Ferrariæ conſpexi. At uerò Satyricæ ſcenæ ornantur arboribus, ſpeluncis, montibus, reliquisq́; agreſtibus rebus, in topiarij ſpeciem deformatæ, ut ait Vitruuius. quare Horatius cum Satyrographos ſignare uellet, ſic in Poetica cecinit:

Syluis deducti caueant me iudice Fauni.

& reliqua. Fuerant præterea aliæ ſcenæ temporariæ, aliæ ſtabiles, tum etiam quæ uerſiles ſeu uerſatiles & ductiles dicebantur. Verſiles quidem, quæ ſubitò totę machinis quibuſdam conuertebantur, & aliam picturæ faciem oſtendebant: ductiles uerò, tractis tabulatis hac atque illac, ſpecies picturæ nudabat interior, ut Varro & Suetonius apud Seruium teſtantur. Idem innuit illo uerſu Vergilius:

Vel ſcena ut uerſis diſcedat frontibus.

Mitto uobis hoc loco, quæ portentoſiſsima ſcribit Plinius 36. naturalis hiſtoriæ, de theatris & ſcenis Scauri & Curionis: hic enim ex ligno, uerſatili libramento quodam, ille ex marmore confecit, ne ab inſtituto diſcedam. Quod autem ante ſcenam pulpitū erat, proſcenium uocabatur: epiſcenium uerò, ſcenæ pars ſuperior. Vitruuius quidem de ſcena apud Alabandenos ab Apaturio conſtructa: Præterea, inquit, ſupra eam epiſcenium, &c. Scena quidem hiſtrionum propria eſt, ut inquit Pollux: Orcheſtra uerò chori, in qua erat thymele,

mele,ſiue pulpitum id eſſet,ſiue etiam ara. Hinc Vitru uius: Ampliorem,ait,habent orcheſtram Græci, & ſcenam receſsiorem,minoreq; latitudine palpitũ, quod λογεῖον appellant:ideoque apud eos Tragici & Comici actores in ſcena peragunt, reliqui autem artifices ſuas per orcheſtram præſtant actiones: itaque ex eo ſcenici & thymelici Græcè ſeparatim nominantur. Erant præterea Periacti, ut ait idem Vitruuius, loca in ſcena ad ornatum comparata, quorum & Plutarchus meminit & Pollux. Athenæus etiam ſellas περιάκτους uocat, quaſi nos uerſiles dicamus & circumductiles: qualibus hoc tempore utuntur podagrici,ut noſtra illa,de qua ſic in noſtro Epigrammate:

Quæ facili impulſu quouis referorq; ferorq;:
Dum plantæ partes lubrica ſphæra facit.

Sed & Brontæum erat ſub ſcena, machina ad tonitru imitandum,unde & illi nomen: qualia & Latinis, ut Pompeius ſcribit,Claudiana tonitrua.Fuit & Ceraunoſcopion in altiore eminentiorique ſcenæ loco ad fulmina imitanda, à quibus & illi nomen Græcè factum. Legimus & uaria pægmata, automata, quæ ſponte & minimo impulſu agerentur: itemque quæ Neuroſpaſta dicta ſunt,quorum meminit Gellius libro 14.capite 1.item Athenæus & Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum,quem locum ita uertit,uel potius circumſcribit Apuleius: Aſtutia unius conuerſionis multa & uaria adminiſtrant,etiam illi qui in ligneolis hominum figuris geſtus mouent: quando filum membri,quod agitari ſolent,traxerint,torquebitur ceruix,nutabit caput,oculi uibrabunt, nec inuenuſtè totum uidebitur uiuere.hæc ille. Videor & me huius dictionis meminiſſe apud Lucianum. Sed poſtquam in hæc ludicra ſcenarum incidimus, alia nonnulla referam,quæ cùm apud alios Græcos, tum maximè apud Pollucem in quarto legi.Fuit ergo Cradepægmatis ſpecies in Comica tantum ſcena: in Tragica uerò μηχανή,hoc eſt,machina, qua in aere Dei &

heroes agebātur, ut Perſeus & Bellerophontes. Tametſi quidam Craden hamum ferreum ſeu uinculum ſignificare ſcribant, quo in aere pendere uidentur, qui ita ſuſtolluntur, ut hodie quoque in celebritatibus fieri conſpicimus. Sed Pollux à ficus imitatione *κράδης* dictam autumat: nam *κράδην*, inquit, ficum Attici uocant. Sed & de Crade eſt apud eos prouerbium. Theologium quoque ſupra ſcenam facere conſueuere, ubi Iupiter cæterique dei in Tragœdijs ita agerentur, ut repentè apparere uiderentur, & fabulæ finem afferre. Ariſtoteles meminit in Metaphyſic. & Cicero in primo de Natura deorum. Sed hac de re longè plura collegit in prouerbio Eraſmus, Deus ex improuiſo apparens: quo loco & nonnihil de *μηχανή*. Erat & Geranon machina, qua ueluti Memnon ab Aurora, uel Endymion à Luna rapi uideretur, talis ſcilicet qualis Martialis de tauro, libro primo:

Raptus abit media quòd ad æthera taurus harena.

Aeoræ præterea funes uehementius intenti dicuntur, quibus ij ſuſtinentur qui per aera ferri uidentur heroes, deique. Eccyclema etiam pægmatis genus, quo rotis circumacto, quæ intus agerentur, oſtendebātur. Erat & Acrobatica machina ad ſcandendum in ſpectaculis idonea. Et hæc quidem & alia plura Greci habuere: ego ad Latina redeo. Claudius Pulcher, ut Valerius ſcribit, ſcenam primus uarietate colorum adumbrauit, uacuis antè pictura tabulis extentam: quā totam argento C. Antonius, auro Petreius, uel ut alij legunt, P. Etelius, uel P. Beteius (adeò uariant uetuſta exemplaria) ebore Q. Catulus prætexuit. Verſatilem fecerunt Lucius & Cinna: locum quem argētatis choragijs P. Lentulus Spinther adornauit. Sed & in hoc loco uarij ſunt codices: quidam enim lucum, non locum habent. Scenæ autem ornamenta ſunt aulæa, peripetaſmata, ſiparia, uela, & uelaria, choragia, & id genus cætera. Ornabantur ad hæc & inſpergebantur ſcenæ & theatra plerunque floribus & croco, aquaque

crocea, id quod Lucretius, Horatius, Propertius, Statius, Martialis, Seneca, alij palàm oſtendunt. Plinius: Crocum, inquit, mirè congruit, præcipuè dulci tritũ, ad theatra replenda. In ſcena præterea ante fores, ut Pollux ſcribit, ara ponebatur, quæ Halieus dicta eſt. Sed & qui Comœdiam celebrabant, in Apollinis honorem, quem Caſsium Menander uocaſſe dicitur, aram cõſtituere ſolitos legimus: hæc uerò an ſit, neſcio, quæ Comœdię ara uocabatur. Sed enim Donatus duas in ſcena fieri aras ait: dextram, quæ Libero patri dicata erat: & ſiniſtram, quæ illi deo in cuius laudem ludi fiebant. Sed quoniam in ludorum mentionem incidimus, par eſt ut ludorum etiam genera, in quibus fabulæ agebantur, uobis referam. Illudq́; in primis uos ſcire oportet. ludos apud Latinos, religionis, non uoluptatis cauſa fuiſſe inſtitutos: quod Liuius & Valerius oſtendunt, & poſt hos Aurelius Auguſtinus. Ex qua re palàm fit, id quod à principio diximus, fabulas à rebus diuinis incœpiſſe, nõ modò apud Latinos, ſed etiam Græcos: quod & Horatius innuit, cum de Tragœdia ageret & Satyris,

> *Eò*, inquit, *quòd,*
> *Illecebris erat, & grata nouitate morandus*
> *Spectator, functusq́; ſacris & potus & exlex.*

Ludorum igitur in quibus fabulæ recitabantur, quatuor apud Latinos genera Donatus enumerat, quos Aediles curules munere publico curare ſolebant: Megalenſes, qui & Romani, & Magni, & à circo Circenſes dicuntur, magnis deis conſecrati: quos ludos Græci μεγαλήσια appellant. Funebres, ad retinendum populum inſtitutos, dum pompa funeri decreta in honorẽ patricij uiri plenè inſtrueretur. Plebeios, qui pro ſalute plebis ludũtur. Apollinares, Apollini conſecratos. quorũ ludorũ omnium apud ſcriptores, & in primis Liuiũ, eſt crebra mentio. Honorarios etiã ludos Suetonius nominat: Triginta, inquit, amplius dies, qui honorarijs ludis occupabãtur, actui rerũ accommoda-

Ludorum genera.

modauit. Honorarios uerò ludos alio nuncupari nomine Liberalia, docet Feſtus: dicti quidem uidentur, et Ius dicitur honorarium, prætorium. Fuerunt & ludi Attellani, ab Oſcis acciti, ut Valerius docet. Thraſyllus quoq; apud Græcos ait Tragicos & Scenicos poetas certaſſe Dionyſijs, Lenæis, Panathenæis & Chythris: quorum hoc ultimum Satyricum fuit, & propterea à numero, τετραλογία uocata eſt apud Laertium. Hinc & quidam Tragœdiam, quaſi τετραγωνίαν dictã putant, ut ex Iſaacio recitauimus, quaſi quatuor certaminũ. hinc & τεοσχρολογία & τετραλογία ποιημάτων. Porrò in Alexandria à Ptolemæo rege Muſis & Apollini ludi conſtituti, in quibus, ut ait Vitruuius, ſcribentium poetarum certamina fiebant: ut Græcorum celebratiſsimos mittam, Olympicos, Nemæos, Iſthmicos, & Pythicos. Sed & in quinto Sympoſiacôn Plutarcho teſte, uetuſtiſsima fuerunt poetarum certamina, id quod & in primo dialogo latius docuimus. Fuerunt & apud Latinos alij ludi, ut uotiui, compitalitij, & ſeculares: ſed non omnia complecti poſſumus.

Scenicus ornatus. Reſtat iam ut de ueſtitu habituque ſcenico nonnihil agamus: eo enim pro qualitâte uel perſonæ inductæ, uel diſcretione, uel moribus, uti conuenit. Hinc Vlyſſem palliatum ſemper inducunt, ſiue quòd inſaniam aliquando ſimulauit, quo tempore tectus eſſe uoluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire: ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munitusque, plurimùm ſocijs profuit: huius enim uirtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacæ incolas, ſicut Locros, palliatos fuiſſe commemorãt. Achillis ſiue Neoptolemi perſonæ diademata habebant, quamuis regalia ſceptra nunquam tenuerint: cuius argumenti probatio inducitur, quòd nunquam cum reliqua Græciæ iuuentute ad gerenda cum Troianis bella, ſacramenta coniurationis inierunt, nec unquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt. Comicis ſenibus candidus ueſtitus inducitur, quòd is antiquiſsimus fuiſſe

ſuiſſe memoratur. Adoleſcentibus diſcolor attribuitur: ut uerò Pollux ait, purpureus. Serui comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquæ gratia, uel quò expeditiores agãt. Sextus Pompeius tales fermè ueſtes, exomidas uocat Comicas, quòd exertis ſint humeris. Polluci uerò ueſtiuntur alba tunicula, quæ Græcè ἐγκύβωμα dicitur. Paraſiti cum intortis pallijs ueniunt, Iulio Polluci cum nigris uel phæis, hoc eſt, fuſcis: præterquam in Sicyonio, cui datur album, quòd ipſe ſit ducturus uxorem. Læto ueſtitus candidus, ærumnoſo obſoletus, diuiti purpureus, pauperi phœniceus datur. militi chlamys purpurea, puellę habitus peregrinus inducitur. leno pallio uarij coloris utitur, cui uirgam rectam in manu dat Pollux. meretrici ob auaritiam luteum ueſtimentum eſt attributum. Lenæ & meretricum matres tæniam ſeu uittam purpuream habent circum caput: anus uerò ueſtes melinas, ſeu aereas: præter ſacerdotes, quibus albæ attributæ ſunt. Sanè non modò Comicæ & Tragicæ ueſtes diſtinctæ eſſe debẽt, ſed etiam Thymelicæ & Citharœdicæ, quarum crebra mentio apud ſcriptores. Sed & Iuriſconſultus Calliſtratus has contineri ueſtis appellatione cenſet, libro quarto de cognitionibus. Cætera huiuſmodi haud exequi par eſt: magis neceſſaria uobis retuli: ſi plura uultis, Pollucem adite. Syrmata dicta ſunt ab eo quòd trahuntur: quæ res, trahendi ſcilicet ueſtes, ob ſcenicam luxùriam inſtituta eſt. eadem in luctuoſis perſonis incuriam ſui per negligentiam ſignificant. Sunt & calceamenta, ſocci & cothurni, ἐμβάδες & ἐμβάται à Græcis nuncupata, ut idem Pollux ſcribit. Hammonius: Embades, inquit, Comica ſunt calceamenta, embata Tragica. Idem & Thomas Magiſtri; qui & illud ait, Εμβάδια ſimpliciter calceamenta ſunt. Ariſtophanes in Pluto:

Τοῖς δ' ἐμβαδίοις τίς χρήσεται;

hoc eſt, quis calceamentis utetur? ἐμβάται & ἐμβάται, idem

idem ait Thomas, tragica ſunt calceamenta. In aliquibus etiam fabulis crepidis utebantur, quæ crepidatæ dictæ ſunt, ut antè relatum eſt: tametſi etiam Græcorum philoſophorum crepidæ uocantur. Aulæa quoque humi in ſcena ſternebantur. Erat autem aulæum, ornatus pictus ex Attalica regia Romam uſque perlatus, pro quibus ſuppara, ætas poſterior accepit. Eſt autem minutum uelum, quod populo obſiſtit. Plerique hoc loco apud Donatum non ſupparum legunt, ſed ſiparium, quod teſte Feſto genus ueli eſt mimicum. Vtitur hac uoce M. Cicero, Quintilianus, Seneca, Iuuenalis & Apuleius, quod recordor. Sunt & qui non ſiparium, ſed ſupparium uocent. Porrò de uelis alia plura in noſtris nauigijs retulimus. De perſonis ratus ſum nihil mihi dicendum, etſi in his deſcribendis multis uerſibus uſum eſſe Pollucem uidemus, qui Tragicas, Satyricas & Comicas ſeorſum narrat. Hoc tantū non mittam, me apud Dioſcoridem legiſſe, Arcion herbam ab aliquibus appellatam proſopida & proſopion, à Romanis perſonaciam: quo loco ab interprete notatur, moris fuiſſe antiquis, ante perſonarum uſum hac herba, quoniam lata, ut cucurbita, habet folia, pro perſona uſos fuiſſe, unde & illi nomē. Vidimus & nos hoc tempore paganos aliquando hac ipſa perſonacia faciem obtegere, itaque riſus ſpectantibus ciere. Porrò perſonarum inuentionem Diomedem & Græcorum pleroſque Theſpidi, alios nonnullos Aeſchylo attribuiſſe legimus, id quod in imaginibus explicandis planius percipietis. Ariſtoteles tamen in Poetica, perſonas, & prologos & hiſtrionum multitudinem quis protulerit, & hoc genus cætera, ignorari ſcribit. Sanè mœſon perſona comica appellatur, ut coci, aut nautæ, aut eius generis, dicta ab inuentore eius Mœſone comœdo, ut Ariſtophanes grammaticus & Feſtus tradunt. Alij Mœſona ſcribunt hiſtrionem comicum quempiam fuiſſe Megarenſem, eundemque primum perſonam excogitaſſe, quæ & Mœſon ab eo eſt uocata. Scommata quoque quibus mordaces id genus

Perſonæ.

nus homines utuntur, Mœſonica ſunt appellata. idem hoc & Athenæus. Lucianus uerò in quadam Saturnaliũm epiſtola, in comœdijs ait perſonas quaſdam induci ſolitas, quæ barbam promiſſam in acutum habe rent in cunei ſpeciem, à qua re nomen eſt factum illis *σφηνοπώγονες*, quaſi dicatis cuneibarbi. Illud præterea in fabulis obſeruandum, ut quæ Latinè ſcribuntur. hoc eſt Latino argumento, per pauciores agãtur perſonas, quàm quæ Græcè; quod Aſconius Pædianus diligenter annotauit. Sed & illud attendendum, ut hiſtrionibus alijſque perſonis introductis nomina imponantur, quæ conuenientia aliqua ratione ſint, etymologiamque habeant fabulæ uel perſonæ congruã: id quod parum obſeruarunt noſtris diebus quidam, qui fabulas docuerunt. eſt enim abſurdum, ut ait Donatus, poetam apertè argumenta confingere, uel nomen perſonis incongruum dare, uel officium quod ſit à nomine diuerſum. Hinc ſeruus fidelis Parmeno, ſalutifer Soſia, infidus Syrus & Geta, iuuenis Pamphilus, & id genus plura: in quibus ſummum poetæ uitium, ſi quid è contrario repugnans diuerſumque protulerit, niſi per contrarium ridendo, ut Miſargyros apud Plautum, trapezeta. Ariſtoteles & ipſe in Poetica ſubobſcurè de hac nominum impoſitione in Comœdia & Tragœdia præcipit, ſed ita ut uix intelligatur. Fabulis etiam imponenda ſunt nomina, quæ uel à loco. uel facto, uel euentu, uel uocabulo ducantur. Porrò & apud antiquos quinque iudicibus dabatur negocium, ut de Comicorum fabulis pronunciarent, ut Epicharmus apud Zenodotum parœmiarum ſcriptorem teſtis eſt: unde illud exijt, *ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται*. hoc eſt, in quinque iudicum genibus iacet. Sed iam ſatis, ut puto, de ipſis ſcenæ fabulis pro tempore dixerimus.

IVLII

IVLII CAESARIS SCALI-ligeri de Comœdiæ origine, tum quid ſit Comœdia, ex eius de Poetica libris.

COmœdia ab agreſtibus cantionibus orta eſt. Quare Theocritus cõmuni uerbo uſus eſt & paſtorali, & ſcenicæ actioni. κωμάσδω ποτὶ ταὺ ἀμαρυλλίδα. Ac quemadmodum Siculi Bucolicum ſibi uindicarunt:ita etiã ſe gerunt pro Comœdiæ autoribus. Quippe iactant ſe Magarenſiũ colonos, ſuumq; ciuem Epicharmũ profitẽtur, qui ante Chonnidam & Magneten uixit:ut falsò his attribuantur initia Comœdiæ. Neq; uerò ſolum afferunt natalia, uerumetiam & cultum, & nobilitatem: ſiquidem eius poematis laus, atque gloria penes Phormin & Epicharmum ſtetit, qui primi rudem ab antiquis acceptam dicacitatem fabulis inſertis, ei quaſi animã addidere. Aliud afferunt árgumentum. Nam quod Attici πράττειν dicunt, Dores δρᾶν: unde Dramata. Quod illi δήμους, Dores κώμας: unde κωμάζειν, quod eſt per uicos uagari animi gratia. Id à cœna faciebant, ut remitterent animum poſt negocia diurna. Ientatione enim præparca ac minima contenti (à quo etiam Ientare uerbum, ὅτι δεῖ ἰέναι, & ut Dores loquuntur ἴεν) haud multò largius merendabant: quod ab hora mediæ diei, in qua eum cibum caperent, appellarũt. Prandium autem, quia iterum ad opus parati eſſent illicò: qua ratione à Græcis δεῖπνον dictũ eſt, ὅτι δεῖ πονεῖν. ſuo igitur quiſque in opere reficiebat eo cibo uires. quo perfecto in ſero diei lautius largiúsue ſeſe accipiebant, tum uberiore epularum apparatu, tum familiarium atque affiniũ ſocietate. Iccirco cœna dicta, quia κοινῇ ueſcerentur: non priuato demenſo diurno. Græci δόρπον παρὰ τὸ δόρυ παύειν: militaris ſanè uox: nõ enim curarent corpora, neque arma deponerent, niſi opera abſoluta. Iuuentus ergo uacui temporis ocio,

atque

atq; licentia noctis abuſa, ſecura imperiorum uel heri, uel patroni, uel parentum per pagos (nondũ enim in urbes conuenerant) diſcurrere. Qui mos cum ipſo nomine ſimul ad nos deductus eſt. Legimus enim apud Liuium commeſſationes. Inde ij luſus, quos uicatim exercerent, *παρὰ τὴν ὠδὴν, καὶ τὰς κώμας*, aptè Comœdiam dixere: quoniam nõ in paſcuis, aut in aruis, aut ad tumulos, aut ad aras canerẽt. Habes autem huius ſignificationis ueſtigia in mutilis uerſibus, qui extant Epicharm. *Εκ μὲν θυσίας θοίνη, ἐκ θοίνης πόσις, ἐκ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου θυανία, ἐκ θυανίας δίκη, ἐκ καταδίκης πέδαι τε, καὶ σφάκελος, καὶ ζημία.* ubi *κῶμον* è potu, ex Como inſaniam ortam ſcribit. Theopompi quoq; uerba ſubnectam ex lib. 53. hiſtoriarũ, de Philippi Macedonis intẽpeſtiua incõtinẽtia. *καὶ πιὼν δὲ τὴν νύκτα πᾶσαν, καὶ μεθυσθεὶς ἤδη πρὸς ἡμέραν ἐκώμαζεν.* ut fuerit ſub lucem uſq; cõmeſſatio, tãquam Acertæ illius, quẽ facetè deſcripſit Martialis. Lucianus quoq; in Diſcategorumenò, Lunã ait ſplendere *τοῖς κωμάζουσι. Επικωμάζειν* autem uerbum eſt, ſicut apud Hippocratem, *ἐπιπικραίνειν*: cũ repetitur commeſſatio. alia ſanè res à repotijs: quemadmodũ in Originibus declaratum eſt. Eius uocis notionem expreſſere per aliud uerbum *βαλλίζειν*: quod rarius quidem eſt. Fortaſſe & lenones Balliones inde. Eo uerbo & Alexis, & Sophrõ, & Epicharmus uſi ſunt in ſuis Comœdijs. Quemadmodũ uerò in cæteris quoq; ita uſu uenit, ut tempus artium ſit & lima, & lex: politioribus deinde ſæculis in artem redacta, certisq; præſcripta limitibus. itemq; conſtituta loca ac tẽpora, in quibus ageretur. Nã quod aiunt Apollini Nomio, id eſt, paſtorali per compita & uicos cantatũ carmen, à quibus appellata ſit Comœdia: id poſtea contigiſſe arbitrãdũ eſt: neq; tã tũ originẽ extitiſſe, quã ortæ rei cultũ quẽdã. Ne erremus cũ Idomeneo: qui auſus eſt affirmare, Piſiſtratidarũ inuẽtũ eſſe *θαλίας & κώμους*: id eſt

hilaritates & facetias. Veteri enim licentia ab alijs inuẽtas & inchoatas acceperũt, atq; excoluerũt. Par Varronis lapſus. neq; enim ut arbitratur, iccirco dictã putes, quia iuuenes quæſtus gratia uicos circumire ſoliti eſſent, in quibus fabulas recitarẽt. In uicis enim prius nota fuit, q̃ circumlata. Et profectò luſus quoq; quàm quæſtus prior. Quemadmodũ ne id quidẽ uerum: ab Epicharmo inditũ nomen hoc, quũ exul in Co inſula ſcriberet id genus poematis. Ab alijs enim cũ re ſimul nomẽ acceperat: quã ingenio ſuo fecit ille cultiorem. Tragœdiã uerò eſſe rẽ antiquã conſtat ex hiſtoria. Ad Theſei nãq; ſepulchrũ certaſſe Tragicos legimus. Nõ tamẽ, qđ tradũt, Tragœdiã Comœdia uetuſtiorẽ. Nã & res lætæ in cantionib⁹ quæſitæ prius: & prius nuptiẹ quàm interitus: & potationes, quã ſobrietates: & cõmunis ſermo, quã ampullat⁹: & paſtoralis uita quã regia. Probatio quoq; falſa. Aiunt enim Iliadẽ priorẽ Odyſſea. Iliadẽ Tragœdiæ modulã, Comœdiæ Odyſſeam. Nã ut taceã, quod poſsit diſceptari, utra ſit ſcripta prior: legendã prius Odyſſeam cẽſeo. Eſt enim remiſsiore ſtylo. Adhæc nõ omnia ad Homerũ referẽda, tanquã ad normã, cẽſeo: ſed & ipſum ad normã. Præterea quis neſcit Odyſſeam eſſe uerisſimã Tragœdiam? In Iliade aũt nullum Tragœdiæ filũ: ſi totã ſimul conſideres. uno enim tenore perpetuæ mortes. Iã incipit à peſte: quæ plus hominũ abſumpſit, quàm uniuerſum bellũ. Ea definit in unius tantũ morte: à cuius nomine nulla inſcriptio. Et cũ ſit inſcriptum opus Ilias, nõ interit in ea Iliũ, ſed in Odyſſea. Contrà in Odyſſeæ tractu, unus tantũ moritur Elpenor, isq́; ebrius. Nã cæterorũ ſociorum interitus unico penè uerbo inuoluitur ſine affectu ullo propemodũ. Iam eſt imago nuptiarũ, cõuiuia, cantus, ſaltationes. In fine aũt & proci interficiuntur: & interuenit *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*: quod Tragœdiæ propriũ eſt. Poſtremo irridet eos Ariſtoteles, qui unũ corpus utramuis eſſe putent, tanquã fabulã unã. Sed multas ex utraq; fabulas confieri poſſe cẽſet: propterea ꝙ & multæ partes, & multa *ἐπεισόδια*. Iccirco

ueteres excerpta toto ex corpore quaſi quædã mēbra recitabãt: Pugnã ad naues: Catalogũ: Animarũ euocationē: Quæ apud Circen acta ſunt: Arma Achillis: Procorũ cędes, atq; eiuſmodi: quæ ſunt in Rhapſodia à nobis declarata. Neq; uerò Homerus ipſe tã docuit uel Comœdiã uel Tragœdiã, quàm eſt edoctus ab agreſtibus atq; aniculis in Ithàca & Chio & alibi, fabellas quas operib⁹ intertextas accõmodaret. Argumēto Heſiodus eſt, q & illo maior natu fuit, & in agro uixit, & in uicis cecinit. Itaq; Ariſtot. nõ dixit prius inuētã Tragœdiã, ſed prius excultã. Serò enim Comœdiã expolitã. Tragœdiæ uerò & Comœdiæ genus unũ cõmune, cõmune unum nomen, Fabula. Certè hæc haud longè abeſt ab ea ſentētia, quam introduxit tantũ, non etiã definiuit Plato in Sympoſio. De Comœdia illa quoq; falſa Grãmatici docuere: quia eſſet poema poſitũ in imitatione, totũ in geſtu cõſiſtere atq; pronunciatione. Profectò nihilominus Comœdia eſt, etiã cum legitur uel tacitis oculis. Quin geſtus recitantiũ ſolus eſt: non omnes uerò qui legunt, recitant. Præterea nimis iam ſepe dictũ eſt, imitationē uniuerſę poeſeos finem eſſe. Comœdiã igitur ſic definiamus nos, poema dramaticum, negocioſum, exitu lætũ, ſtylo populari. Errant enim qui Latinis ſic definiuere, priuatarũ perſonarum, ciuiliũ negociorũ comprehenſio, ſine periculo. Principio alijs quoq; fabulis conuenit non dramaticis, quæ ſimplici narratione recitari poſſunt. Deinde in Comœdia ſemper eſt periculum, alioquin exitus eſſent frigidiſsimi. Quid enim eſt aliud periculum, quàm imminentis mali aditio ſiue tentatio? Præterea non ſolùm pericula, ſed etiã damna lenonibus, & riualibus, & ſeruis, & heris. quemadmodum in Aſinaria, & in Moſtellaria, ipſi quoq; heri malè mulctãtur. Adhæc prætextatas Comœdiæ nomine appellare nequeant, ex ea definitione, non enim ſunt priuatæ perſonæ. Poſtremò & Mimis eſt communis definitio, & Satyrę dramaticæ. Primus Crates Athenis dempto metro Comœdiam in ſoluta oſtendit oratione.

IVLII CAESARIS SCALI-
geri liber, de Verſibus comicis, ad Syluium Cæſarem filium.

QVIBVS artibus poetarum ingenia excolęrentur, cùm eſſet à nobis duobus libris explicatum: nō prius abſolutum fuiſſe opus illud uidebatur, quàm addita de uerſibus comicis commentatione inſtitutum teneremus, Nam cum de origine, generibus, partibus fabularum, quæ in ſcenā afferrentur, & ab alijs olim, & à nobis ipſis ſuo loco ſit diſputatum: in animo habebamus, totū hoc negocium legare ijs, qui de pedum quantitate, deq; uerſuū ratione conſcripſerant. Verùm cùm & maximus uir Eraſmus, & poſt eum pleriq; alij ita hanc conficere prouinciam aggreſsi ſint, ut & ille his non pauca reliquiſſe, & hi eadem illa aut neſciſſe, aut præteriſſe uiſi ſint: coactus ſum Syluiole fili, hac quoq; opera oſtendere animum erga te noſtrum: ut quem in locum Naturæ ope teipſum euehere mirabamur, noſtris auſpicijs promoueri, ac prouenire eò poſsis. Nam cùm pernecesſaria per ſe cognitio eſt ipſa, tum etiam ſi non eſſet, uidentur tamen uiri illi talē effeciſſe, ſiue ad eorū magnitudinē intueare, quā ad huiuſmodi lucubrationē demiſiſſent: ſiue negligētiā ſpectes, qua mutilam deprauatamq; relinquerent.

Ac primùm quidē quam Eraſmus affert, uereor ut accipiēda ſit dubitatio: Sit, nec'ne certis pedibus aſtricta comœdia. Nam quanquam Quintilianus hoc dixiſſe uidetur, non tamen pedum leges potius, quàm trimetrorum prēſcriptionem deſiderauit: neq; in omnibus, ſed in Terentianis tantum: quarum gratiam, quā elegantia orationis atq; puritate conſequutæ eſſent, diminutam putabat licentia uerſuū longiorum: cùm tamen Plautus nihilo ſit in trimetris frequētior. Hoc autem amplius eadē in quæſtione peccat Priſcianus, quoſdā eſſe, qui in Terentij fabulis extare metra negēt, atq; eoſdem tamen ait, illa quaſi arcana quædam, ſibiq;

ſibiq; ſolis cognita profiteri. Quid enim eſt hoc? negare numeros in uerſu quopiam, eoſdemq; numeros in eodē uerſu ſe ſolos dimetiri poſſe? Hanc ſententiam more ſuo de illo mutuatus Eraſmus commodiorē fecit: diuidit enim eā, eiusq; partes ad diuerſa refert iudicia. Alios inquit negare: alios quaſi inutilē eam inueſtigationem exiſtimare. Quorum utrunq; cùm ipſe reiecißet: quòd erat priore loco, meritò quaſi iudicatum omiſit. Alterius autem rationē hanc reddere inſtituit, non operam perdere nos indagandis uerſuum generibus. hac enim diligentia effici, ut quæ librariorum incuria tranſpoſitæ uoces ſint, ſuis eæ ſedibus reſtituātur. Ego uerò neq; hoc eſſe neceſſarium uideo, & plus conferre ad ſolutæ orationis libertatem. Nā neque ubiuis tranſpoſitæ uoces, uerſus tollent cōnexionem: & frequentiſsimè deprehendimus, ob numeri neceſsitatem ita tranſpoſitas, ut ſi eandem ſententiā in epiſtolam ſis allaturus, cogaris alijs ſedibus digerere: ueluti cùm Terentianus Simo ait:

Si ſenſero hodie quicquam in his te nuptijs
Fallaciæ conari, quo fiant minus.

Nam priore uerſu multa inuertas ſine diſpendio numerorum: in altero autem & quotidiano ſermone, & forenſibus contentionibus aliter loquare. Itaque ſi librarij ita ſcripſiſſent:

Fallaciæ conari, quominus fiant: ex eorū temeritate hoc fructus capiamus, ut minore negocio imitemur. Hoc igitur non negamus nos, uerſuū legibus duci nos ad uerborū ſedes inueſtigandas: ſed in eo ullam eſſe utilitatē, hoc negamus: imò uerò conducere interdum magis, ſi tranſpoſita ſint, quo ordine orationem noſtram inſtituamus. Sed profectò hac opera plus fuit laboris ſumptum, quàm captū utilitatis: ut non ſine cauſſa miraremur, ſummos uiros tantum ſtudij in dimetiendis illis uerſibus poſuiſſe, Priſcianū, Donatum, Aſperum, Iubam, Scaurum, Probum, Sulpitium, Varronē ipſum. Quorum frequentiæ cùm mihi in mentem uenit, apparet illico aut obſcura diligētia, qui infecto negocio

eguerint ſucceſſore: aut res ipſa perdita, quæ uel ab uno alteróue tantorum uirorum nequiuerit confici. Quare ea quoq; cauſſa, ſed potiſsimum ea, inquam, eſſe potuit, ut ad hanc contemplationem ſtudium noſtrum adhiberemus. Neq; enim ſola res petenda iã eſt nobis, ſed ipſa cõtentione de clariſsimis autoribus uictoria reportanda. Atq; ut eorum iudicia hac quoq; in parte emendemus, ſimul ad hanc operã incitemus ingenia literatorum: ut nõ minimam pronunciandi rationẽ ex hac cõmentatione conſequi ſeſe poſſe putẽt: quemadmodum cùm intellexerint neq; aſpirationẽ, neq; ſibilum, neq; mutam inter ſe cõſpirare potuiſſe, ut prima ſyllaba in uoce hac, *iſthic*, produceretur. Qua in uoce eadẽ qui putant ſibilum extrudi in pronunciando, neq; morem ſeruarunt, neq; etymologiam obſeruarunt. Nam Aeoles, quos Latini maximè ſunt imitati, quod alij, ἐσθλὸν, dicerent, ipſi, ἐσλὸν, pronũciabãt. ita in uerbo, *iſthic*, ſatius fuit mutam abijcere. & fuit ratio: nam, *is*, pronomẽ integrum manet: cauda aũt illa, quam uocant ſyllabicam adiectionẽ, nullo diſpendio expuncta etiam leniori relinquit locum cõiunctioni. Præterea multis in locis animaduertas, poſiturã conſonantium non producere uocalem: ſed ſuapte natura niti breuitate: ut, *in, ſed, ad, quod, aliud, ſimul*: in quibus qui putarunt oportere poſtremum elidi elementum, uehementer errarunt. Sed longè facilius in diſiunctis uocibus correptam uocalem tenuere, quàm in cõiunctis. At in coniunctis ita pronunciabant, ut poſituram nihil afferret moræ breuitati. Sic *inſidias*, & *inferos*, primam producere dixerunt: *indicationem* aũt & *incautum*, corripere. Quare ſi hoc in uno tractu ac tenore faciebant, multò commodius interpoſito eo interuallo, quod ſeparatis uocibus debetur, efficere debuere. Nã ſi dicas, *in ſedibus*, atq; ibi præpoſitio breuis ſit, quæ in ea compoſitione longa fuiſſet: quanto aptius breuis erit, ſi dicas, *in diem*: quæ, ſi compones, breuis quoq; erit? Præterea animaduertemus, quàm celeriter multas uocales pronunciando expediuerint, ut etiam cum ſequentibus

quentibus obſcurarint. Sic enim in illis, *ſcias, ſuæ, tuæ, fuit, dies, deos, prius*: quæ efficiebant monoſyllaba: ita ex duobus comparatiuis, *potius, melius*, duos conſtituebãt pyrrhichios. Nam quemadmodum menſuremus uerſum illum ex Andria?

Dabit nemo. inueniet inopem potius, quàm te corrũpi ſinat.

Neceſſe enim eſt ex duabus uocibus his, *potius quàm*, unum pedem fieri: quod ut efficias, multa prius, ac mirabili eget interpolatione. Ergo uulgò ita quoq; locutos puto, non laturos ſcenarum barbariem, quæ de medio ſumeret ſermonem. In hac tamen re & diſceptarunt multi, & non pauci errarunt: ſicut & illi, qui reddere uoluerunt rationem uerſuum: cùm alij eſſent curtiſsimi, alij adeò longi, ut mihi libeat cum Plautino trapezita iocari, Dum unum ſcribo, expleuit mihi totas ceras quatuor: quantus ille eſt ex Eunucho:

Et magnifica uerba: uerba dum ſint. uerùm ſi ad rem conferentur, uapulabit.

Quanquàm hîc quoq; ab illis diſſentio, aioq; duos uerſus eſſe: priorem trochaicum dimetrum brachycatalecticum: alterum octonarium. Nam ſic pronunciauit, ut cùm dixiſſet,

Et magnifica uerba: ſubſtitit, affixitq; ibi propoſitum in uerbis: poſtea ſimul cum re mutauit ſententiam, ut pro factis facta redderet, & uerbera minitaretur. Priſcianus diſtinctionis cauſſa breuiores inſertos uerſus dicit. Verùm neq; ille diſtinctio hæc quid eſſet, declarauit: neq; nos, quid ſibi uelit, ſanè ſcimus. Nam quæ diſtinctio eſſe debet, non ſolùm eadem in ſcena, ſed etiã perſona? quæúe in prima ſcena grauiſsimæ Comœdiæ Amphitruonis? Ipſo enim ingreſſu ſtatim nuſquã ſibi conſtat. Aut qualem in ea ſcena, in qua Pamphilus de patris duritia queritur? qui in eodem argumento propoſitoq; perſtaret conqueſtionis, & tetrametris illud inſeruit dimetrum:

Quod ſi fit, pereo funditus.

Alij, ut ſibi uidebantur, acutiores, è rebus ipſis duci, nõ ſolùm pedũ ſtatum, aut curſum, ſed etiam uerſuum

tractus prodidere: in re perturbata mutari uerſus, pedesq́; ipſos cõfundi: in celeritate trochaicos trudi: grauibus perſonis ſtatarios ſermones confieri ex ſpõdeis. Afferunt huc non tã pro teſte, quàm pro iudice Vergilianam prudentiam, diuinam illam ſanè mihi: qui rẽ, uerborum nitore ac numerorum concinnitate oculis ſubijciat. Ego uerò ut horum diligentiam ueneratus ſum, quam equidem tanto ſtudio in meis poëmatis exprimere conatus fuerim: ita in comœdijs falſam ſimul atq; ſuperuacaneam animaduerti. Nã ſi in perſonarũ ſtatibus diuerſis, ſi in contrarijs negocijs, ſi in fabularum partibus maximè inter ſe diſsimilibus, idem pes, idẽ pedum ordo, idem carminũ genus oſtẽdatur: iam nulla cauſſa eſt, quin horũ ſententia, tanquã uana explodatur. Ergo in diuina fabula, ac uerè theſauro, quàm leui nimis de cauſſa Trinummũ inſcripſit Plautus, Protaſis trimetro iambico tota conſtat: item Epitaſis: tum Cataſtrophe. Stichus è contrario, tota trochaicis longis. In Moſtellaria adoleſcenti Philolacheti homini perdito luxu, atq; ocio corrupto, quiq́; unam modò rẽ ageret, ut inſeruiret uentri, dati uerſus ſunt omni pedum penè genere pleni. Tranioni aũt ſeruo, trepido, in re deſperata, uerſus cõpoſiti, atq; ſibijpſis conſtantes. Seni Teuropidæ uiro graui, parco, læto, aucta re, amoto maritimorũ metu periculorũ, ſenarij iambici. Quid grauius Amphitruone? quid magis ſtatarium, quàm finis fabulæ conuerſæ? cõcluditur tamẽ fabula trochaicis. In Sticho autem tam iambis potant, quàm trochæis. Gurgulio currẽs in re noua, nouo nuncio uehitur trochæi rotis. At Acanthio in Mercatore haud abſimili in re quadratis utitur iambicis. At ijſdẽ in Terentiana Phormione Geta pari in negocio. Ergaſilus uerò paraſitus in Captiuis, tam trochaicis, quàm alijs: cùm tamen ſimilẽ ageret curſuram. Quemadmodum & Dinacium puer in Sticho nuncij autor noui, utriſq; miſtim uſus eſt. Præterea trochaicis Harpax Cacula militaris in Pſeudulo dum Lenonem quærit. Trochaicis Erotium meretrix in Menæchmis,

ut

ut obſonium comparādum curet. At è contrario trochaicis Lyſiteles adoleſcens & grauis, & frugi in Trinummo: & Chremes ſenex, uir bonus, ac prudens in Andria, ſeria in primis de re, paterno animo, conſtanti conqueſtione. Quòd ſi ad Dauum reſpiciāt, qui ſequē ti ſcena iam ocium atque tranquillitatem imperando ſibi, belliſsimos fundit trochaicos, iam ipſi illa de celeritate aliquid conſultius remittant. Poetas profectò iſtos comicos noſtrates, ut in mentem uenerant res, arripuiſſe, eisq́; numeros accōmodaſſe reor. Iſti uerò legumlatores noui pleriq; hoc ſuis obtinēt ingenijs peculiare: ſemel alicubi ſi quid deprehendêre, illico pro lege habent. Atqui longo multoq́; opus eſt ſtudio, eſt opus conſilio prudenti, acri iudicio opus eſt: quanquā equidem non negarim, fabularum initijs ubi animos, aureſq́; ſpectatorū trimetris uerſibus imbuiſſent: ipſi ſibi ſuo quaſi iure agerent deinceps interſperſis alicubi eiuſdem generis ſenarijs, idq́; neque ſemper, neque coactos, neq; conſultò factitaſſe exiſtimamus. Fuit tamē hoc illis in more poſitū, ut narrationib. trimetros maiore ex parte adaptarēt: neq; ſolùm in Argumētis, aut Prologo, aut Protaſi, ſed etiam apud perſonas eas, quæ etiā aliud agerēt. Quemadmodum cùm Dauus in Andria, de alijs rebus loquens, alia utitur uerſuum dimenſione: ubi ad narrationem deuentum eſt de naui fracta apud Andrum, ad trimetros diuertitur:

Ad hæc mala, hoc mihi accedit etiam. hæc Andria.

Eadem diligentia in epiſtolis. In Pſeudulo ab lōgis in ſenarios deflectitur. In Aſinaria quoq; quod pactū cōſcriptum eſt inter adoleſcētem, & lenam, ſenarijs expletur: quoniam fit narratio quædam: quanquā ne hic quidem ſemper. Nam longis uerſibus narrat in Rudēte Grippus, euētis fortunæ ſeſe bene acceptum. At in eadem ſenex ſomniū trimetris. Ex utriſque uerò, atq; etiam alijs miſtis Soſia Amphitruonis: quanquam ubi ad manus uentum eſt, iamborum uim atque alacritatem minutiore gyro flectit, ac uibrat. Cùm igitur tam inconſtantem legem uideamus, ut illis poetis neque

curæ fuerit, uti facerent: neque ſaluo puri ſermonis ni tore efficere potuêre, uti numeris eſſent aſtrictiorib. nos ſic inuenta, aut quemadmodum exiſtunt, permittamus. aut ſi quid ſiniſtri ſeſe offerat, ne odioſè extorqueamus: præſertim cum licentiæ uitium cum Græcis, unde ſumpſiſſent, ſibi commune, licentia, uti ſolet, auxêre.

Illud uerò, quod aliqui dubitando, quidam etiam aſſeuerando negabant: fabulas Terẽtianas trimetris circunſcriptas: falſum eſſe deprehẽdimus. Nã & apud eũ poetam plus eſſe huius carminis inuenies: & contrà, apud Plautum quadratos, aliaq; lõgiorum genera. Andria penè ex æquo diuiſa in utrunq; genus eſt. Haud enim ità multò ab longis ſenariorum numerus ſuperatur. In Eunucho, & Heautõtimorumeno, itẽ. At in Adelphis penè ex quadrante longi ab ſenarijs excedun-tur. Phormionem potior ſenariorũ numerus cõficit. Ecyra laxior fabula, ac pedeſtrior eſt: itaq; omniũ Terentianarum ad ſermonem quotidianum quàm proximè accedit. eſt tamen in ea ſenariorum plus tertia parte. At contrà, Plautina Amphitruo, & Rudẽs uix totus quadrans expletur ſenarijs. Aſinaria, Epidicus, quam tantopere ipſe autor laudat, Moſtellaria, Menæchmi, Miles, Mercator, Pſeudulus, Aulularia, Caſina, Gurgulio, Bacchides, aut ex utriſq; æquè conſtant, aut etiam minus habent ſenariorum. Captiui uerò, & Perſa, & Pœnulus plus dimidio textæ ſunt longis. Trinummus legebatur hactenus tota quadratis, aut non multò breuioribus. Eam nos ita reſtituimus priſtinæ ſinceritati, ut ad quingentos ſenarios excuſſerimus. Quorũ tamen numero præſtant longi uerſus duplo. Quam operam etiam cùm Truculento impendiſſemus, paulò minus ducentis reformatis, tantam longiorum inuenimus multitudinem, uix ut illorum hi eſſent pars quinta. Atq; is labor non temerè ſuſceptus eſt: cùm tam facilè mendacium, Quintiliani autoritate tegeretur. Nã iſti magni uiri, dum nihil inexcuſſum uolunt, & faſtidiunt leuiora, plus profectò nominis uſurpant, quàm

ponant

ponant operæ. Quemadmodum Priſcianus quoq;, cui de anapæſto ſententia excidit ſatis abſurda, cùm dixit: Erit autem probabilis iambicus uerſus, & tragœdijs aptus, ſi ſecundum, & quartum pedem, non alios feceris, quàm iambos, aut eum, qui tribrachus eſt, aut anapæſtus: quoniam ſunt pares. Qua enim audacia fretus anapæſtum tribracho parem dixit? Nam quod ait paribus ſed bus anapæſtum recipi: uerũ eſt. Sic enim extat in Pluto Ariſtophanis:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.

Et bis in eodem uerſu:

Οἱ δ' ἐξετρέποντο, κ' οὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾶν ἔτι.

Verùm hoc eſt illi adeò frequens, ut nullus pudor Latinis ſit iam futurus, quibus lingue ratio perſuaſit, ne hoc attentius curarent: præſertim cùm tragœdia quoque hoc admiſerit, grauius ſanè ac longè caſtius poema. Obſeruantior Sophocles: Euripides minus obnoxius: nam minus pepercit illis ſedibus:

Γλῶσσαν δ' ἐπιορκῇ σάγκαν ἰδίᾳ τῆς φρενός.

Et in Hecuba:

Κεἰ σμίκρον ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχῃ.

Neque ſolum anapæſtum paribus ſedibus poſuit illis, ſed etiam in ultima. ut in Oreſte:

Αὐτουργός. οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Quem ſi tribrachyn uoces, ſyllabam nũc reſpiciàs, nõ legem illam, qua ultima habetur indifferens.

Eraſmus autem rectè ſedibus imparibus dicebat, pro iambo receptum ſpõdeum, dactylum, tribrachyn, anapæſtum: proceleuſmaticum autem omiſit, quoniã excidiſſet memoria: & creticum, quẽ ſanè putaret non admitti. Nam ſi in eam ſedem poſſe recipi ſperaſſet, non multa carmina ſubuertiſſet. Proceleuſmaticus autem proximè ad naturam dáctyli accedit, differens ſyllabarũ numero, temporũ tractibus par. Tribus autẽ modis excipitur pes ille. Aut enim mollis eſt, atq; adminiculis quibuſdã ſimilior factus dactylo, ut, *Genua labant: ariete: parietibus*. Duab. enim uocalibus cõſtitutis,

prior

prior conſonantis uim quandã uidetur obtinere.Aut eſt apertior:ut in uerſu Enniano:

Capitibus nutantis pinus,rectosq́; cupreſſos.

Aut eſt coactus,ademptis conſonantibus, quibus ſyllabarũ breuitas impeditur: cuiuſmodi eſt in Andria:

Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.

Itaque ad eum uerſum cùm deueniſſet Eraſmus,neque agnoſcere uellet proceleuſmaticum, quem in ſuis legibus nõ conſtituiſſet,& putaret duriuſculè fieri, ſi Aeolicum digamma auferretur, ut exiret proceleuſmaticus:ſuſtulit tamen,ut exciperetur tribrachus in duab. primoribus ſyllabis huius nominis,*inuidia*,& ex duab. poſtremis uocalibus una ſyllaba concreta eſſet. Verũ ut in natura,ita in arte illius imitatrice faciendũ nobis eſt,nihil aut otioſè,aut ſuperfluò agere.Ergo ut cõſtet ratio dimenſionis, ſi recipias proceleuſmaticum, unum tantum moliris,cùm tollis digãma.Si malis tribrachum:& hoc tibi idem curandum eſt, ut tollas:& præterea duabus confertis ſyllabis obſcurãda oratio. Nã ſi nihil refert pronunciéſne *inuidia*, an *inuida*, quid intelligamus? quod ſi(ac uerius quidẽ eſt)ita pronũciemus,ut quaſi ſonum conſonantis prior uocalis obtineat,iam non ſit tribrachus amplius,ſed anapæſtus. Nam ita pronunciari in quibuſdam proceleuſmaticis iam diximus, & apparet ex illo uerſu Poetæ:

Stellio, & lucifugis congeſta cubilia blattis.

Et apud Horatium:

Vt Naſidieni iuuit te cœna beati.

Nam idem nomen aliter:

Naſidienus ad hæc.

Quare in priore uerſu, omnes erunt ſpondei præter quintum.Sic enim etiã Catullus,*pituitæ,* primam cum produxit:

Muccusq́; & mala pituita naſi.

Non corripit Horatius:

Niſi cum pituita moleſta eſt.

ſed triſyllabum poſuit: ita ut media litera Aeolicũ ſit digamma: quod & elicitur ex iudicio Aelij Stolonis,

qui

quià petendo uitam duci ratus eſt. Verùm quod in, *in-uidia*, fecit, ut unam ex duabus efficeret ſyllabam, com modius confeciſſet in, *iniuria*, illo uerſu:

Quo iure, quaq; iniuria præcipitem me in piſtrinum dabit.

Sicut in, *perfidia*, prologo Amphitruonis:

Non ambitione, neq; perfidia, qui minus.

Id quod ſi animaduertiſſet, non ſuſtuliſſet pronomen *me*, quod magna cum emphaſi, ac geſtu ad timorē per ſonæ poſitum eſt: & omnibus in exēplaribus legitur. Tolli autem Aeolicum elementum in ea uoce, palàm eſt etiam uerſu illo Phormionis:

Qui ſæpe propter inuidiam adimunt diuiti.

Neque enim mirum eſt aduenticiā literam de medio tolli quaſi peregrinam. Eſt enim *uideo*, *ἰδέω*: ſicut in uer bo *uiuo*: fuit enim *βιῶ*, eo uerſu:

Liberius uiuendi fuit poteſtas. nam antea.

Puto enim nō admodum uegetam, contentamq; fuiſ-ſe literæ illius pronunciationem: ſicuti neq; in *ouo*, ne que in *oue*, cùm libitū eſſet. quæ ut aſperrima eſt apud Germanos, ita pene uocalis apud Vaſcones, non con-ſonans: nedum ut duplex uſpiam ſit. Sed nequaquam par ratio fuit aut neceſsitas, ut elideretur idem digam ma, in uerbo hoc, *inueniet*: eo uerſu ex Andria:

Dabit nemo. inueniet inopem potius, quàm te corrumpi ſinat.

Nihilo enim mutatur uerſus dimenſio, ſiue tollatur, ſiue relinquatur: quare, contrà quàm ſenſere, nullo pa cto debeat tolli. In coniunctione quoque hac, *enimuero*, durius fit, ſi eximatur. Quid enim eſſet, *enimuero*? Sed u nam ſyllabam fuiſſe, *enim*, cum uellent arbitror, ſiqui-dem Græcum fuit *ἦν*, & *ἦνὶ*. At quaſi pro conſonante accepêre, ut oſtēdimus, in Stellio, *inuidia*, *iniuria*. Quod ſicui paulò aſperior uideatur pronūciatio: is nō memi nit, ea ratione, *cui*, eſſe monoſyllabum: & *Pompei*, biſyl-labū: &, *Cai*, monoſyllabū, &, *hui*: & quod omnium du riſsimum eſt, *huic*. Proceleuſmaticos autem alijs duo-bus uerſibus animaduertere quidā, utroq; ex Andria:

Mala mens, malus animus: quem quidem ego ſi ſenſero.

Tibi

Tibi generũ firmum, & filiæ inuenies uirum.

Ac de priore quidem non eſt diſceptandum. In poſteriore autem mollior eſt: propterea quòd antiqui pronomina *mi*, & *ti*, monoſyllaba pronunciabant ab Aeolenſibus accepta, *μοί, τοί*: tu, *τύ*: *τέ*, te. Sic enim in Gurgulione accipiendum eſt:

Curato ego tibi quod amas, iam huc adducam.

Tibi, proceleuſmaticum hîc quoq; faciēt, neq; errabũt. Hoc tantùm agebamus, ut intelligeres ſecundiorē fluxum earum ſyllabarum ad proceleuſmaticum, quarũ duæ in unam redigi atq; coaleſcere poſſint. De cretico autem, quem iſti omni conatu ſubterfugêre, pluribus rationibus, atq; exemplis eſt diſputandum. Nam ſi in heroicũ admittitur, ſi in tragœdia, quod eſt poema clarũ, nobile, elatũ, caſtũ, locũ inuenit: quare in mediũ ac uulgatũ ſermonē nō recipiatur? Eſt igitur apud Poetã:

Et naufragum ſcyllaceum.

Dicent non fuiſſe emendatum librum. At Vari & Tuccæ iudicio emendatum fuit hoc. At eſt in emendatiſſimo libro Georgicon, quod ſuprà adduximus:

Stellio, & lucifugis.

At eſt Euripidæ cùm alibi, tum in Hecuba:

Δυοῖν δὲ παιδοῖν δύω νεκρὼ καθόψεται.

Cùm tamen dicere potuiſſet:

Παιδοῖν δυοῖν.

Itaque nos quoque in Nemeſi, ſtuduimus grauitati, & auribus:

Heu genus nefandum.

Nam abiecta interiectione, exanguis oratio eſt: item ſi dicas,

Heu gens nefanda.

Et alio loco poſuimus, *ſiniſtra:* potuiſſet dici, *ſcæua*. Sed paucis aures poeticę datæ ſunt. Præterea ſi dactylus & anapæſtus in iambi loca ſuffecti ſunt, quorum uteruis una illum & ſyllaba & tempore ſuperaret, quare eam licentiam ſermonis eadem puritas non coegerit recipere quaſdam uoces, in quibus eſſet creticus? præſertim

tim cùm è puris creticis aliquot uerſus conſtent. Præterea, ea nomina uerbaq́;, *deus, dies, fuit, mea, ſua, tua*, eò ptinent, ut cum collectionem in unã ſyllabã patiantur, doceant nos, in cretico idem quoq; fieri poſſe, ut emolliantur pronunciatione. Ad hæc, ſi omnium moroſiſſimus pes, ac penè ferus, *ἀντιβακχεῖος*, in heroicum receptus eſt apud Homerũ: cũ *αἰγύπτιον*, & *ἀνδροτῆτα*, facit ut dactylum primoribus ſyllabis amplectantur: nulla cauſa eſt, quin rationes etiam autoritatibus fulciantur. quas Eraſmus ſi diligentius recenſuiſſet, non tranſtuliſſet præpoſitionẽ *ex*, in Andriæ prologo: ſic,

Qui bene uertendo, & eas deſcribendo malè, ex
Græcis bonis Latinas fecit non bonas.

Quod equidem ut non improbo, ita conſilium nõ laudo: quo adductus eſt, ut id faceret, ob amphimacrum uitandum. At ſi his rationibus non acquieſcat, exemplis ſaltem credere cogatur: quæ quanquam habebam penè infinita: tamen & multa omiſi, in quibus poſſent tergiuerſari: & alia firma penè innumera, ne tædium párerent. paucis igitur contenti ſimus. Ex Ecyra igitur cum illud poſſemus adducere:

Eam calamitatem ueſtra intelligentia:

ſuperſedimus duabus de cauſis: quoniam & ipſi liqui dam non geminant in poſtrema dictione: & nos pronomen, quod primo loco poſitum eſt, monoſyllabum agnoſcimus. quare audiamus ex Aſinaria:

Fortè ſi tuſſire occepſit, ne ſic tuſſiat.

Puto autem ſic legendum precipient: *Fors ſi tuſſire.* Nam ij magis erunt ferendi, quàm qui putabunt coniũctionem, *ſi*, corripi: ut in, *niſi*, & in, *ſiquidem*. Quare alia quæramus. ex Gurgulione:

Sitit hæc anus. quantillum ſitit. modica eſt. capit.

Item in his duobus, binos:

Peruelim ſepultam. ſed quom adhuc naſo odos meo.
Sedatum te. quàm longè à me abeſt. lumen hoc uide.

Videamus alios multos, in eadem:

Sed grandiorem gradum ergo fac ad me obſecro.

Vbi, *fac*, longum eſt, contra recentiores.

Salue anus.egón' ſalua ſim, quæ ſicca ſum ſiti?
Iámne ego huic dico?quid dices?me periiſſe age.

Item ex Andria:

Siue iſta uxor,ſiue amica eſt,grauida è Pamphilo eſt.

Quo è uerſu ut creticum tolleret, non ueritus eſt uniuerſæ orationis detrahere ornamentum:pronomen illud ſcilicet, quod in ſecundo loco ſtatim legitur.Videamus ergo etiam ex Eunucho:

Quæ cum amatore ſuo cùm cœnant liguriunt.

Nam hic non poſſumus effugere,quin aut prima in ſede creticus ſit,aut in quinta.Nã ſi ſecundã uocem non collidas,ſed integrã relinquas in dimenſione:ſicut frequenter fit,& Plautus uoluit ſibi licere in Pſeudulo:

Si de damnoſis natis,aut de amatoribus.

creticus ſit ineuitabilis in quinta.Nam prima ſyllaba natura,non poſitione longa eſt.*Cœnare*,enim mediam natura producit.Sin collidas,iam in prima ſede hoc eueniat, eadem ualidiſsimus ratione: qualis etiam ex Heautontimorumeno:

Itáne comparatam eſſe hominum naturam omnium.

Quem uerſum qui trochaicũ putent, nugas agant,hęc enim fuga neq; neceſſaria eſt,& eſt fruſtra.Nã in prologo Adelphorum,quæ pars eſſe debet politiſsima:

Indicio de ſe ipſe erit:uos eritis iudices.

In eadem fabula:

Quàm aut hic nunc manere tandiu, aut nunc perſequi.

Ineptè diuertũt ad trochaicos. Quid enĩ in illo dicẽt?

Ille futilis,ſomnium ſineres uerò illum tuum?

Etenim trochæos extorquere nequeant ex eo.Et in Eunucho:

Sed neminem curioſum interuenire nunc mihi.

Quem Eraſmus uerſum pro ſenario imprudenter ſeſe meritum eſſe putat.Et in Ecyra:

A Myrrhina hæc ſunt mea uxore exorta omnia.

Et in Pœnulo:

Perq; meos amores,perq; Adelphaſium meam.

Et in Amphitruone:

Inimicos oſa ſum ſemper obtuerier.

Item

Item in Aſinaria:

Deam ſibi inuocet, quam lubebit, propitiam.

Et in Aulularia:

Nempe ſicut dicis. quid hic? non poterat de ſuo?

Ex Caſina:

Aut quaſi lumbricus terram quidem te poſtules.

Sicut ex Captiuis:

Inde me continuò recipiam rurſum domum.

Ex Caſina alterum:

Quid facies? concludere in feneſtram firmiter.

Quòd ſi dicãt elidi ſibilum, quẽmadmodũ in Rudẽte:

Illuſtriores fecit, feneſtrasq; indidit.

obijcies illud ex Aulularia:

Aedepol mortalem parcè parcum prædicas.

Quo loco ſi iurandi aduerbium pronunciatum autument ab antiquis per mediæ ſyllabæ exemptionem: àlium opponas è Pſeudulo:

Nunc tuo cum filio liber accubat. omnia.

Vbi ſi dicant, *ad*, præpoſitionem in compoſitione etiã correptam enunciari conſueuiſſe: quæramus nos, qua re in alijs carminũ generib. nullis licuerit hoc. Quòd ſi reſpondeant in cauſa eſſe pedeſtrem ac uulgarem orationem: hinc inſtemus nos, non ualde meritam eſſe illius uilitatem, ut tam accuratis aſtricta numeris creticum aſpernaretur. Itaq; uerbum ſubſtantiuũ aliquã do miris torſere modis: ut in Milite Plautus:

Cenſen' uerò adeò eſſe parcum, & miſerè uiuere?
Dicas uxorem tibi eſſe neceſſum ducere.

Apertius uerò in Gurgulione, ſimplici ſibilo pronunciatur:

Huic anui non ſatis eſt ſoli. canem eſſe hanc quidem.

Cæterùm quis eximet à cretico uerſum illum ex Trinummo?

Sit taciturnitati clàm fidei ac fiduciæ.

niſi qui ad trochaicam aram illam miſerè cõfugerit? Quare illo obruãtur ex Gurgulione, quem iambicus, ut ſeſe in omnia uertant, quin ſit, efficere nequeant.

Liberi lepos, ut ueteris uetuſti cupida ſum.

Atque initio quidem arbitror uocalium tenuiorum mollitie factum, ut ſubirent pedes alieni: ſic dicimus,

Χρεώ, πηληϊάδεω, πόλεως, πλέων:

ut bacchium etiam receperimus illo uerſu:

Et leuis ocreas lento ducant argento.

At hunc uerſum ſpondiacum putat Diomedes uir doctus: non malè: ut mollior uocalis ſubeat fortiorem. Sic creticum interpoſuit, ut ſpondeum faceret, in uerbo, *aureo*. Quòd ſi in tragœdia cretici ſunt, in heroicis bacchius & antibacchius, ut taceam anapæſtum tum Homeri, *βορέης ζέφυρός τε*; tum Vergilij, *Fluuiorum rex Eridanus*: non uidētur fuiſſe tot mōſtra neceſſaria, quot iſti eximendis elementis crearunt, in *quidem*, in *ſicut*, in *ſimul*, atque alijs: neque excludendas integras fuiſſe uoces, aut alias ſpurias ingenuis ſupponendas, quod feciſſe Eraſmum & ſuprà oſtendimus, & ex his patet. Nã in Eunucho, *deſpectam*, poſuit: *deſpicatam*, ſuſtulit:

Habeat deſpicatã, & quæ nos ſemper omnibus cruciãt modis.

Auxit etiam errorem alia culpa, cùm ex eadem fabula uerſum fingit ex puris creticis:

Siccine agis? quis tu homo es? quid tibi uis? quid cum illa rei tibi eſt?

Quem tamen iambicum quadratum agnoſcas. Pari in fœlicitate & illum ex Andria creticis concluſit, qui eſſet ſenarius integer:

In denegando modò quis pudor eſt paululum?

Reſtituta nanq; per initium prepoſitione, quã ille nimis confidẽter ſuſtulerat in prioris finem, tolles illi⁹ & errorẽ, & audaciam: ſimul deprehendes craſſam culpam: qui creticum ex tribus uocibus cõfectum iri ſperauit illis, *quis pudor eſt*. Verùm ille uir curioſior paulò fuit emendandis autoribus. Nam & apud Senecam:

Arcum intenſiò frangit, animum remiſsio:

eũ ibi dixit eſſe inuerſum ſenariũ, atq; ipſe ſic inuertit:

Remiſsio animum frangit, arcum intenſio.

Dixiſſet cõmodius, quod ad pedes attinet, ſic legi poſſe: nunc cùm neceſsitatem affert, cauſam ſuam facit deteriorem. Nam & ſic ſenarius eſt: & in alijs apud eundem

dem

dem autorem ſenarijs non obſeruatas magis leges intelligas, quàm in comœdijs aut alijs fabulis, unde ille ſumeret. Quod ſi acrius contẽplere, longè concinnior ſentẽtia eſt: quã deformat ille inuerſione ſua. Nã ſentẽtia tametſi æqualiter de arcu, & de animo, pronunciat per cõtraria: tamẽ uult arcũ referre ad animũ: quoniã de animo quærit ſtatuere. Itaq; non ab eo incipere, ſed in eo ſententiã terminare oportuit: præſerim cũ præter expectationẽ de animo ſentiat. Nihil enim mirũ, intẽſione arcũ, at mirũ remiſsione animũ frãgi. Quare & creſcit oratio, & talis eſt, ut quauis pedum diſpoſitione potior ſit. Ita curioſa hæc ingenia ſæpenumero iudicio carent.

De comicorum uerſuũ materia, partiumq; quantitate, ſatis diſputatũ eſt. de ipſarum partiũ numero deinceps uideamus. Principio, quod antea in libris De arte poetica ſtatuimus, hic repetendũ eſt, Verſus per initia curtos fuiſſe, duobus ad ſummum contentos pedibus. Id quod & ratione comprehenditur: ſiquidẽ partes toto corpore priores ſunt, & exemplis: ſic enim ortum eſſe primũ ſenariũ in Apollinis pugna, quam cum Pythone conſeruit, ex illa ſimplici acclamatione:

Ἰὴ παιάν.

Quã cũ & iterarẽt, & frequẽtarẽt, natũ aiũt ſenariũ: quo tantopere in ſuis oraculis poſtea ille celebrarit.

Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν.

Qua de cauſa apud autores fabularum, inuenias unica uoce contentum uerſum: ut in Eunucho: *Occidi.*
Sed & monoſylllabum interdum: ut in Hecuba:

Φεῦ.

Et eadem geminata uoce, diſtinctæ uoces: ut in Pluto, ut in Oreſte:

ἆ, ἆ.

Et coniuncta: ut in Philoctete Sophoclis:

Ἀτ]ατα]ᾶ.

Repetitis deĩde tractib pductiores facti: ut in Nubib.

 Ἰού,

Ἰού, ἰού.

Hoc quoque ita in Trinummo duplicatum fuit, ut dimeter fieret:

O Callicles, ô Callicles.

Ergo cùm duo pedum eſſent genera: alterũ motoriũ, alterum ſtatarium: qui uerſus ex motorijs conſtarent, in ijs binos pedes ſingulis collectos tractibus feriebãt: qui autem è ſtatarijs conflabantur, ſatis habebant ſuũ cuiq; ſedi pedem referre. In priori claſſe fuit pyrrhici⁹: cuius uerſus Enoplios dictus eſt: quo uſi ſumus nos toto poematio, quod dicaueramus Sileni natalibus.

Modo citus ego pede celere magis ago numeros:
Abeoq; Venere duce loca ſuper alia uolans.

Et Euripides in Oreſte:

Χρέος ἐμόλετί ποτι.
Ανὰ κέλαδος ἀπὸ λέχεος.

Eiuſdem generis eſt iambus, trochæus, tribrachus. In ſecundo cenſu ſpondeus habetur, dactylus, anapeſtus, proceleuſmaticus, creticus, amphimacrus, bacchius, palimbacchius. Neq; uerò ſine ratione fuit hoc. In his nanque uocibus, accentionum natura quatuor, aut quinque temporibus frequens eſt. Ergo ſtatarij uerſus ex pedum numero nomen obtinuêre: ita ut Heroici, quoniam ſex ſpondeis conſtarent, Senarij dicerentur: motorij autem non item: qui ob celeritatem ſatis habuerunt, ex dimidio tantùm nomen ſibi retinere: propterea quòd bini prodirent ſimul: atq; ita factum eſt, ut quibus eſſent pedes bini, ij Monometri uocarentur: quibus quatuor, Dimetri: quibus ſex, Trimetri: quibus octo, Tetrametri. Hæc apud Græcos. Latini autẽ his nominibus etiã alia addidêre: non ab dimẽſionibus, quæ binos caperẽt pedes, ſed à pedũ numero, Quaternarios, Senarios, Octonarios: tanto cõmodius, cũ unica uoce etiã imparibus conſtitutos pedib. nominabãt, Quinarios, Septenarios. Nã hos Greci brachycatalectici adiectione agnoſcunt, quãti ſint. Octonarios autẽ etiã quadratos appellauimus: quemadmodum

dum in cubica figura anguli oćtoni ſunt: ita cùm eandẽ quadrantalẽ dicerent, eodem nomine hoſce uerſus inſignitos uoluêre. Nam conſtituta quadrata ſuperficies, ſi fluat atq; poſtea ſiſtatur, quadrãtal creat. quare corpus hoc Latini Græca uoce teſſerã uocitarunt: nõ à laterum numero, ut quidam putauêre, ſunt enim ſex: ſed ab radice conſtitutionis: ſic enim appellant mathematici. Præterea cùm ſenarij plus in uſu fuiſſent, primusq́; Boiſtus produxerit oćtonarios, ab ipſo traćtu longos nominauêre. Ergo neq; Gellius Ennianos uerſus quadratos rećtè appellauit trochaicos illos:

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promptu ſitum:
Nequid expećtes amicos, tute quod poßis agere.

neque Varro in ſeptimo De lingua Latina illos ex Eunucho:

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo.

Siquidem Ruffinus autor eſt, eundem Varronem ita ſenſiſſe, uerſum ſeptenarium fieri, cùm ad ſenariũ pes triſyllabus adderetur: additq́ue exemplum ijſdem numeris, ex Ecyra:

Nam ſi remittant quippiam Philumenæ dolores.

Non ſolùm igitur à ſe diſſentit ipſe: uerùm etiã errat definiendo. Nam & maior eſt ſeptenario: & triſyllabus pes bacchius præſertim, iambo non ſolùm eſt aduentitius, ſed etiam alterius traćtus diuerſi, neq; dignus qui in iambici definitionem admittatur. Et ridiculum eſt, nõ potius ſeptenariũ ex ſeptenis fieri, ſicut ex ſenis ſenariũ: quã è ſenario & uno pede, tanto minus triſyllabo. Sed profećtò magnos uiros autoritas ſæpe texit, etiã malè ſentiẽtes: ſicut Ciceronẽ quoq; fugit ratio, cũ in prima quæſtiõe Tuſculana ſeptenarios uocat illos:

Heu reliquias ſemiaßi Regis denudatis oßibus,
Per terram ſanie delibutas fœdè diu uexarier.

Eraſmus Varronem ſecutus tetrametrum nihilo fœlicius explicauit illis uerbis, Iambicum tetrametrũ interdum in fine fraudari una ſyllaba producta penultima, quoties iambico dimetro accinitur dimeter catalećticus. Nam quid attinebat dicere penultimam pro-

ductam?neque enim neceſſarium hoc eſt: quo loco & tribrachus eſſe poteſt & dactylus: quorum ſyllabæ poſtremæ breues ſunt. Aut quæ eſt illa explicatio? quaſi cum dicas, Homini interdum pes deeſt: quoties integro ſemihomine, alteri ſemihomini pes deeſt. At uerò quis neſcit tetrametros, non è duobus dimetris, ſed ex quatuor dimenſionibus conſtare? ſi quis uel partium conſideret rationem, quarum ſingulis equale ius ſit in uerſu: uel originem ipſam intueatur. Neq; enim Boiſtus ille, aliúsue quiſpiam, dimetro dimetrum aptauit: ſed trimetrum, quem tum lõgiſsimum inuenerat, monometrum addidit. Præterea quis hoc audiens, non putet eſſe nefas cæſuram facere in quinto pede? ſiquidem ex duobus dimetris tetrametrum eſt conſarcinãdum. Quid quod idem abuſus eſt dimetri trimetriq; appellatione? Nam imprudenter uerſum illum ex Andria iambicum pentametrum dixit eſſe:

Hocçine credibile eſt aut memorabile?

qui eſſet trimeter brachycatalecticus. Neque enim idem eſſe *μέτρον*, & pedem, ſuprà diximus: ſed *μέτρον* capere motorios pedes duos: quare ſi pentametrum iambicum exigas & à Græco poeta, & à Latino, tanto altero maiorem oſtendat. quem errorem etiam in illo continuauit:

Noui rem omnem, ſed eſt Simo intus? eſt.

Ergo nihil mirũ ſit, qui motorijs pedibus auferat ſua iura, ad ſtatarios immeritò transferre. Illum enim uerſum ex Andria:

Vt malis gaudeant, atq; ex incommodis:

auſus eſt creticum dimetrum nominare: qui tamẽ pes cùm non ſolùm ſyllabarum numero, ſed etiam temporum quãtitate prolixior, quàm ſpondeus ſit: quare ſolus unam dimenſionem non expleat, ſi ſpondeus implet? Eum tamen ſecutus Riuius, parem erroris admiſit proportionem. Siquidem trochaicis anapæſtum inſeri nonnunquam ſcripſit cauſa celeritatis. quod dictũ cum illo ſuperiore maximè conuenit. idem nanq; ſentiunt: cùm ille creticum ad iambum, hic anapæſtũ referat

ferat ad trochæum. At qui pes ita eſſet quatuor prædi tus temporibus, ut duo ſimul unam ſyllabam efficerent plenam ponderis & grauitatis, non potuit inter curſores illos annumerari: præſertim cùm iambo ſimilior eſſet anapæſtus quàm trochæo. uterq; enim à breuibus incipit, in longam deſinit. Quanto enim grauior eſt iambus trochæo, tantò eſt anapæſtus dactylo. Quare non leui de cauſa factum eſt, ut grauiſsimi poematis grauiſsima pars chorus ad grauiſsimi pedis maieſtatem ſeſe cōferret, ſcilicet anapæſtum. Quid quòd ille nullam poſuit rationem, propter quam trochæus eſſet iambo uolubilior? At uerò & nomen Græcum excitabat nos, & ſuberat ratio. Nam qui & ſyllabarū numero, & temporum ratione par eſſet iambo, non potuit eo eſſe celerior, niſi ſanè temporum, temporaque deferentium ſyllabarum ſitu, qua una re illi fieret diſsimilis. Trahit enim trochæus ſyllaba priore uocē ita, ut in poſteriore emolleſcat, ac quaſi euaneſcat. Iābus è contrario celeritatem profeſſus, grauitatem præſtat. Itaq; ſanguinarius pes, & promptus ad uulnerādum, indicat & impetum primò, & ſtatariā pugnam mox. Id quod Hipponax cùm acerrimo ingenio uir animaduerteret, quam rationem impetus in pede agnouiſſet, eam in peculiarem pedi uerſum tranſtulit: ut ſicut iābus in ſyllaba longa pertinax pugnaret, ſic iambicus uerſus in lōgum pedem incumberet. Leuiorem enim ratus iambum, quàm ut ad impreſsionem faciendam ſatis eſſet, in quintam prælato ſedem, ſuccedere ei ſpōdeum fecit. Quare id quoque iudicio conſecuti ſumus nos, propius ad naturam partium acceſſurū fuiſſe totum uerſum, ſi iambus imparibus, trochæus paribus ſedibus conſtituti fuiſſent. Cuius rei exemplum, quoniam res eſt minus uſitata, è noſtris poematijs ſubijciemus: unum ex iambicis:

Malis fortuna Cornucopiæ fundit.

alterum ex trochaicis:

Si plaudit malis fortuna: quid iuſtus fit?

Qui flexus numerorum ſi cui abſurdus uidetur, is me-

minerit aurium conſuetudinē uiolentam eſſe:nouaq́; atque inuſitata non tam ſemper admirari quàm ſæpe reſpuere. Verùm magnopere noſtra intereſt,qui quoad licet Ariſtotelis exemplo rerum cauſas ueſtigamus, ue nari rationem,propter quam cùm iambo ſedem aſsignarent,priſci maluerint pares retinere. Nam ſi in dactylico ſenario una tantùm ſatis fuit, quinta ſcilicet: ſiue ille fuit ſpondaicus,una item fuit ſatis,quippe ſexta:quare trochæo impares, alias iambo cōſtituêre?nā hoc ſanè præter naturā factum uidetur. Etenim per initia ſi ſolis aut iambis aut trochæis uerſus conſtabāt, uidetur ſanè primam quanq; ſedē illos arripere debuiſſe. Quibus uerbis ut reſpōdeam, ſanè primum ſic agā, Non eſſe rerum naturam ſecutos ueteres poetas: multa illis pro libidine facta fuiſſe, multa fortuitò excidiſſe, quæ poſtea pro legibus probarentur. Vnū illud ſatis conſtat, cùm trocheo ſedem primam retinerent, nō inconſultò diuerſam ab ea, & alijs imparibus aduerſo pedi iambo aſsignaſſe. Quare autem hanc huic, illam illi reddiderint, ſanè haud facile eſt intellectu. Atque hîc quidem ita ſentit Priſcianus: Quoniam, inquit, in ſecundo pede cum dimetiēdo feriretur uerſus, minor ei loco mora debita eſt. Nam mihi contrà uidetur, maiorem moram deberi in pronunciando, ubi tempore ipſo immoramur. Et falſum eſſet ibi poſitum pedem, quoniam feriretur: ſed contrà, uerum eſſet, ibi feriri, quoniam pes poneretur. At hoc quærimus nunc nos, quam ob cauſam ibi poſitus ſit. Preterea ſi ea ratio eſt, quomodo conſtabit in trochaicis,qui ibidem feriuntur? Vt igitur quæſtionis rationē apud nos putèmus, intelligamus ſecundum uerborum inuentionē eſſe,ut à lōgis incipiamus,& in breues deducamur. Nā quanquam breuis ſyllaba natura ſua prior eſt,quàm longa, quippe ſimplicior eſt: tamen per initia inuentionum cunctabantur primum. quæ ratio eſt, ut uocum fines in pronunciatione obſcurentur. Ita enim meditantis, & conſulti animi ſuſpendere uocem, non præcipitare. Quamobrem tam in uerſibus, quàm in proſa

oratione

oratione poſtremarum ſyllabarũ habita ratio eſt nulla. Trocheum igitur antiquiorẽ fuiſſe iambo, & dactylum anapæſto par eſt. Ergo trochaicũ uerſum iambico priorem. Quare cùm primæ quæq; ſedes trochæo fuerint peculiares, alteræ illi relictæ ſunt. Præterea cũ trochæus eſſet pes uolubilis, ſtatim ſeſe ingeſsit in uerſum. Iambus autem graſſator ille idem fecit, quod ciuilibus in rebus plurimis conſueuimus. In oratione ipſa, ut principijs grauis ac ſedata ſit, pugnã quoq; cautius aggredimur: tũ illa incitatu efferueſcit: ſic ad ſaltũ ubi cõparamus nos, fortius pedem figimus, ut ſtatariæ moræ maiorẽ impetũ ſubijciamus. Sic Ariſtoteles omniũ bonarum artiũ dominus motum omnẽ ſub finem eſſe probauit concitatiorem. Ita propoſito ſpondeo, & iambo, ſatius fuit ab hoc illum excipi. Præterea recentiſsima quaq; memoria ferè metimur ipſas res, quare aſsignata prima ſede trochaico, ultima quoque neceſſariò trochæo finitur. Quæ ſedes, primam dico, ſi iambi fuiſſet, in ultima iambum nullum haberemus: nunc ut in ea ille ſit, pares ſedes illi attribuendæ fuere: ut recentiſsimo ſono, quippe nouiſsimo, aures ſpectatorum caperentur.

Quæ de uniuerſa re dicenda erant, ferè habes Sylui: quare deinceps ad ea, quæ particulatim animaduerſa ſunt, deſcendamus. Atque equidem, ut ſeſe offerent, ita ea deſcribam. Sit ergo quod affert ab Adelphis eo uerſu:

Quid is fecit? quid ille fecerit? quem neq; pudet.

Cum enim agnoſceret ſenarium, neq; rationem inire poſſet dimenſionũ, abſtulit alteram ex liquidis in pronomine, *ille*: id quod ut ego quoq; fateor, & poſſe, & ſolere fieri: ita hîc duo dico. Primùm, ab eo creticum quarta in ſede eſſe conſtitutum: quem tamen pedem adeò euitarit, ut euerterit multa. Deinde uerſus aut ipſum diſieciſſe, aut aliorum incuria ſolutos præteriſſe. Sic enim legendi ſunt:

Quid triſtis es? rogitas me ubi nobis Aeſchinus
Siet, quid triſtis ego ſim? dixine hoc fore? quid is

Fecit? quid ille fecerit? quem neq; pudet.

Vbi uerbum, *ſiet*, unica ſyllaba concretum fit. Sic etiã ex Andriæ illo ſibilum abſtulit, non unde debuit:

Quis igitur eſt relictus obiurgandi locus?

Sibilũ inquit, in pronomine, *quis*, eliditur. At uerò cũ neceſſariò iambicus ſit, nullo pacto ad eum modũ ſecare poſsis. ſed ex participio tollendus eſt. Sed & illũ malè dimetitus eſt:

Perij obſecro: tam infandum facinus mea tu ne audiui quidẽ.

Quem dicit eſſe trochaicum catalecticum: cùm ſit integer quadratus iambicus, neq; ad trochaicũ torqueri poſsit. Sicut & præcedentem illum:

Fortè ad nos redierit. uiſe amabo num ſit. iam faxo ſcias.

Nam ut euaderet amphimacrum, non eſt ueritus trahere ſui trochaici caudam etiam ultra octo pedes: niſi argutet, *ſcias*, eſſe monoſyllabum. Sed cùm omnes illi ſint quadrati, etiam hunc iambicum malim, nulla facta in prima uoce colliſione:

Quò ille abire ignauos poſsit longius, niſi ſi domum.

In prologo autem Andriæ, eo uerſu:

Nam in prologis ſcribundis operam abutitur:

cùm diceret uocis huius, *prologis*, primã ſyllabam eſſe à Terẽtio productam, addidit ſanè rationem friuolam: Latina, inquit, conſuetudine: quibus mos eſt eam præpoſitionem productã habere. Nam in Latinis uerbis producant, in Græcis autem abſtineant, niſi alia uis ſubſit: ſicut in hac uoce, ubi liquida illa geminatur, ſicut in Heautontimorumeno:

Oratorem uoluit eſſe me, non prologum.

Et ex prologo Truculenti:

Sed relliquam dat operam, ne ſit relliquom.

Et illo:

Vt pernoſcatis ecquid ſpei ſit relliquum.

Nam niſi hoc ſoliti eſſent facere, mille aliæ uiæ erant ad eadem penè uerba uerſu concludẽda, ut rem nouã euitaret. Verùm noua nequaquam erat: ſed ab Homero uſq;. Nam in hymnis μέλ☉, in Iliade ἐλώρια, atq; alia produxit. Etiamq; nũc multæ nationes adeò craſ

ſe

ſe eam literā pronūcient, ut intus eſſe aſpiratio uideatur, Gabali, Aruerni, Græci, Germani, Ligures, Taurini. Cæterùm etiam alia ratio eſt, ut & uerſus ille prologi conſtet, neq; liquida geminetur. Sanè ſi eam uocem quæ in eo uerſu prima eſt, non collidas: quod ſæpe alibi & in ea, & in alijs factitatum eſt: ſicut in Eunucho,

Vnà ire cum amica imperatorem in uia.

In ſecunda enim ſede dactylus eſt, neq; præpoſitio colliditur. Ita in illo ſi coniunctionem, *nā*, non collidas, nihil innouabis: præſertim cùm in promptu habuit, ut pro, *nā*, ſubijceret, namq;. Verùm ut diximus etiam in alio prologo idem factum eſt, ut geminaretur. & rectè. minus uerò rectè à Donato in Ecyræ prologo:

Propè iam remotum iniuria aduerſariûm.

Nam tametſi geminari cōſueuiſſe fatemur, tamen nō eum fuiſſe locum, eam affectandi nouationem, qui ſibi iambum, quandocunq; poſſet, aſciſceret. Sicuti nō minus infeliciter Priſcianus: qui cùm redducit geminare mutam diceret, idq; exemplo probare uellet, attulit dimetrum Horatianum ex Epodo:

Redducet in ſedem uice.

Nam quid aiat, ſi negem? neq; enim neceſsitate pedis perſuadebitur nobis. Quid ſi contendam non eſſe factum ab Horatio, qui quoad poteſt, iambos etiam aucupatur? Quare igitur abiecerit genuinum pedē, quare admiſerit ſpuriam literam, ut illum excluderet? Melius feciſſet, ſi ex Ecyra illud:

Remiſſam opus ſit uobis, an reductam domum.

neq; mirū, quæ in, *reddo*, geminetur. In ſcena quoq; primi actus quinta, cùm Pamphili orationi interueniſſet Myſis, atq; ſuis uterq; ſeorſum affectibus uteretur, uerſus interſeruit diuerſos quoque poeta, quos Eraſmus confudit: ſic igitur legendi ſunt:

Hoccine eſt humanum factum, aut inceptum? hoccine officium patris?
Quid illud eſt?

Prob

Proh Deûm atque hominum fidem, quid eſt? ſi non hæc contumelia eſt?

Sic enim etiam alio genere Myſis utitur iterum:

Miſeram me, quod uerbum audio?

Cui reſpondet illud Pamphili:

Quod ſi fit, pereo funditus.

In eadem autem ſcena uerſum illum:

Proh Deûm atq; hominum fidem, nullóne ego:

appellat dimetrum pede redundante, laxè ſanè nimis. Nam quamobrem non quinarium? quare non trimetrum brachycatalecticũ? quis unquã audiuit uerſum ullũ pede eſſe redundantẽ? non'ne ipſe ille uerſus talis eſt hoc ipſo pede, quẽ dicis redũdare? Illud quoq; malè dignoſcere uiſi ſunt: cùm actus ſecũdi putarũt initium, caudam eſſe poſtremi uerſus, quo clauditur actus primus: ſic,

Ne ad morbum, hoc etiam. teneo. quid ais Birria?

Nam ut hoc primum dicam, multo ſatius eſt, ut initia actuũ integra ſint, quàm fines. Deinde apparet properatio in Myſide abeunte, ut Glycerium conſolaretur. Itaq; abrupit ſermonẽ, atq; abijt. Præterea inter actus uetus comœdia interſerebat προσρήματα, choros, deuerbia, apoſtrophas, atq; alia eiuſmodi. Noua comœdia raró gregẽ, niſi in fine. Aliquãdo etiã Choragũ legimus apud Plautum. Omnino autem tibicen canebat: quod è Pſeudulo licet perſpicere.

Dum concenturio in corde ſycophantias,
Tibicen uos interea hic delectauerit.

Tanto igitur interuallo, quomodo Charinus Myſidis expleſſet uerſum, quem non audiret? In eadẽ uerò ſcena, ita peruerſè legit, ut alterum nouenariũ faciat, alterum ſenarium relinquat: ſic,

Quæſo ædepol Charine, quoniã id fieri quod uis nõ poteſt, uelis
Quod poſſit. nihil aliud niſi Philumenam uolo.

Cùm tamen duo priores optimi ſint octonarij: ſic,

Quæſo ædepol Charine, quoniam id fieri, quod uis, non poteſt:
Velis quod poſſit. nihil aliud niſi Philumenam uolo.

Etiam priore conſilio monometrum uocat illum:

Ah

Ah quanto ſatius eſt.

Dimeter enim eſt brachycatalecticus. Sed & nulla neceſsitate mutat, *abi*, in, abin', ſiue, abeas, cùm fruſtra putat alioqui conſtare non poſſe uerſum. Nã & trochaicus eſt ſi collidas: & iambicus, ſi non collidas. Nam & maxima eſt uis eius uocalis quæ eſt ultima in uerbo, *abi*. Sic Vergilius, eo pulcherrimo uerſu, quo Theocritum æmulatus eſt:

Vt uidi, ut perij, ut me malus abſtulit error.

Et aſpiratio prohibet colliſionem: ſicut illi:

Ecyra eſt huic nomen fabulæ, hæc cum data eſt.

Sic imprudenter nimis elidit ſibilũ ex pronomine illius uerſus:

Sed iſtud quid'nam eſt? hodie uxorem ducis? aiunt Pãphile.

Qui tamen rotundiſsimus ſit octonarius, neq; uſquã coactus. Nam quod monet, in nomine, *ſuſpicio*, tertiam à fine produci, uerum eſt: ſed neq; noua res, neq; ſine ratione. Nam & Plautus ita ſcripſit:

Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri,
Et clandeſtina ut celetur ſuſpicio.

Et ſatis liquet coaluiſſe duas uocales in unã. Namq; ab eo quod eſſet ſuſpicitũ, ſuſpicitio fuit: itaq; cùm erit breuis, tunc intelligetur ſyncope: cùm lõga, ſynereſis: ex eo quoq; uerſu in Andria:

An non dixi hoc eſſe futurum? dixti. quid meritus es? crucem.

Priſciani autoritate dicit tolli uerbum ſubſtãtiuum. Quo in loco mihi oblatam ſentiam occaſionem duos ſimul emendandi magnos uiros: illum qui errarit: hũc qui non correxerit. Eſt enim integer octonarius. Illud uerò eius proprium eſt, cuius culpam in alium trãsferre nequeas. Nam uerbum ſubſtantiuum, *adfuerunt*, triſyllabum profeſſus eſt eo uerſu:

Cùm in pariundo aliquot adfuerunt liberæ.

Qui tamen uerſus ſenarius iãbũ habet in quarta: ferendus tamẽ erat quaſi lapſus, niſi altero errore culpã cumulaſſet, cùm primã auferri iubet ſyllabã ex eo uerſu:

Aufugiſtin'? hera, factum. ſatin' id tibi placet?

Integer

Integer enim ſenarius eſt, etiam citra ablationẽ, ſpondeis duobus, anapæſto, duobus dactylis, & poſtremò iambo. Ibi temerè transfert ſyllabam inferioris in ſuperiorem: contrà debuit transferre in Ecyra, neque tranſtulit:

Quæ dico paruipendent, porto hoc iurgium ad
Vxorem: hæc cuius ſiunt conſilio omnia.

Sicut interiectionẽ quoq; debuit aſcribere priori uerſui in Adelphis, ut ſic legeretur:

Syre præceptorum plenus iſtorum ille. phy,
Domi habuit unde diſceret ſit ſedulò.

Reſtituiſſet etiam in Ecyræ uerſu uerbum, ut ſit ſeptenarius, ac par priori: ſic:

Tecum ferantur. dixi. ita ut iubes faciam pater.

Nõ debet errati cenſeri loco illud in Andria eo uerſu:

Tu rem impeditam, & perditam reſtituas? hem quò fretus ſim.

In quo dicit, *hem*, extra uerſum ab alio additum potius, quàm poſitum à poeta: cùm tamen mutila ſit ſine eo ſententia: & ſibilum elidi uidemus etiam in multis locis. Sic audacter nimis aufert uerbum, *cupio*, ex illo Eunuchi:

Cupio aliquos parare amicos beneficio meo.

Cùm tamen commodius eximeret, uocem ſequẽtem, ſine ullo carminis detrimento, etiam ſententia rotundiore. Sed aut ſit proceleuſmaticus primus pes, & alter amphimacrus, aut pronomen poſſeſsiuum, quod poſtremo in loco eſt, demittatur in uerſum alterum ſubſequentem, qui nihilominus ſit ſenarius: ſic:

Meo. id amabò adiuta me, quò id fiat facilius.

Nam, *facilius*, eodem modo triſyllabum eſt, quo, *potius*, biſyllabum. eligat autem lector, quod magis erit ex animi ſententia: quandoquidem etiam apud Lucretium, *aliud*, ita biſyllabum accipitur, ut cauda dactyli ſit. Iniquior fuit illi uerſui ex Ecyra, ex quo, *dum*, particulam expletiuam exemit: qui tamen cũ ſequentibus, cumq; præcedentibus octonarius ſit:

Mane dum ſodes. timeo, ne aliud credam, atq; aliud nuncies.

Hoc ibi cùm adimit, ita alibi æquè importunè addit

de

de ſuo: ut ad eum uerſum ex Eunucho:

Par pari reſerto, quod eam mordeat.

Modò addit *nunc*, modò *mox*, modò *ſic*, modò neſcio quid. Ego uerò nihil immutandum cenſeo de conſilio poetæ: qui integrum prouerbium, ſicut circunferebatur, ita interſeruit trochaico tractu. quare audacius etiam, *remordeat*, ſuppoſitum eſt. Nam ſi quid addas, uerſus non conſtet: ſi nihil addas, ad concinnandum trochaicum nihil eſt opus. Et non ſolùm hoc exemplo in omnibus legitur exemplaribus, ſed etiam eadem fide recitatum à Cicerone in epiſtola ad Lentulum. Verùm appoſuit pari audacia aduerbium, *nunc*, ei uerſui:

Alio pacto honeſtè quo modo hinc abeam, neſcio.

Nec enim uocalis eliditur, ſed perſtat longa ante aſpirationem aduerbij, *hinc*: & trochaicus decurrit octonarius catalecticus. Sicut in uerbo monoſyllabo nulla item colliſio fit, neque in aduerbio, eo uerſu:

Ora me. obſecro te uerò Phædria. i, intrò. hoi, hei.

Corrupit etiam ſyllabarum qunatitates: ut in illo eiuſdem fabulæ:

Sic eſt. inueniam hodie parem ubi pol referam gratiam.

Auſus eſt dicere aduerbium, *hodie*, primam producere: quoniam, inquit, idẽ ſit, ac ſi dicas, hoc hodie. At quod núſquam eſt, narrat. Nam cùm eſt, hoc die, propter poſitionem producitur. Nam ſuapte natura breue pronomen eſt: ſicut eius compar, *hic*. Græcũ enim eſt, ὅ. Quare illud Vergilianum:

Hoc erat alma parens:

non ſolùm propter interrogationem, ſed etiam ob ſyllabæ ſeruitutem, legunt, *hocce*, ij qui exiſtimati ſunt doctiores. Breue enim fuiſſe uel inde deprehenditur, ubi conſonante amiſſa in aduerbio, *hodie*, correptum eſt: quod etiam exemplo inuenias ex uerſu Ecyræ:

Viſum eſt. certóne? certè. deus ſum, ſi hoc ita eſt. uerum reperies.

Eſt

Eſt enim pronomen, *hoc*, ſecunda ſyllaba dactyli, qui in quinta ſede eſt: quamobrẽ uerſus, de quo nunc contro uerſia eſt, ſeptenarius eſt iambicus. In conuiuio autem poetico, illum ex Eunuchi prologo:

Habeo alia multa, quæ nunc condonabuntur:

ait mendoſum eſſe: neq; enim ſcazontes in ea genera carminum admitti: itaq; ut metrũ corrigeret, linguá Latiná deprauauit, cùm ſuppoſuit, *condonabitur*. Nam quis dicat, *Tu condonaberis à me cõmentarios*? An uerò etiá ἀπροσώπως auſus eſt, & rectum apponere tamen caſum? At ego puto ueteres excitãdi ſpectatores gratia, næuos hoſce aſperſiſſe: neq; in ea re falſus ſum. Ná quî decuit minus, ſpondeo claudere iambicum, quàm dactylicum ſiſtere? At quantum decoris addit affectui, cùm diximus in Inferijs filiolæ noſtræ, ſororis tuæ lectiſsimæ Sylui:

Heu heu quónam animam, quò carmine compellabo?

Sed de his numeris in tertio libro Poetices tibi ſatis eſt diſputatum. Ita grauitatem, & lenitatem, & cõſtantiá animi oſtendens Terentius, remiſit de iambi acerbitate: néue ſine exemplo feciſſe eum arbitrere, habebis ex prologo Amphitruonis unum:

Quòd ego huc proceſsi ſic cum ſeruili ſchema.

Eſt enim, σχῆμα. quanquam non ſum neſcius uiros doctos ſublata aliunde ſyllaba, ſchemate, legere ſolitos: quare aliud habeas ex Aſinaria:

Agè nunc reſide iam. caue modò ne graxis.

Neq; enim ſequentur analogiã, qui *graxeris*, legerint. nihilo ſanè melius, quàm ſi *faxeris*, & *occepſeris*, ꝑ faxis, & occepſis, malint. ſicut in Captiuis:

Nunquam iſthuc dixis, neq; animum induxis tuum.

Accipies etiam unum ex eadem fabula:

Auis me ferè conſimilem faciam, ut prædixti.

Adducerem & ex Caſinæ prologo, niſi ſuſpicarer uerba eſſet tranſpoſita.

Clerumenæ hæc uocatur Comœdia Græcè.

Sicut

Sicut ex eodem alterum:

Ratione utuntur, ludis neminem poſcunt.

Sed profectò & alibi multis locis, & in Pœnulo:

Gerræ germanæ, atq; ædepol λῆροι λήρων.

Ac ne in illis quidem ſeruauit Latinitatem:

Ne te iratus ſuis ſæuis dictis protelet. ſcio.

Subſtituit enim pro *ſæuis dictis*, ſęuidicis. at ſæuidicum, mobile nomen eſt. cui igitur hærebit? an ille inuenit uſquam in naturæ legibus, accidens ſine ſubſtantia? In eadem autem ſcena etiam pedum numerus eum fugit. nanque iambicum ſenarium hypercatalecticum dixit illum:

Non poſſum adeſſe. ah quid agis? quò abis Antipho? mane.

Habet enim duos dactylos alterum alteri ſubeuntem ante poſtremum iambum. Aequè autem incommode ex Heautontimorumeno brachycatalecticum nominauit illum, in quo periculum potius imminet, ne quid redundet:

Et illam ſimul cum nuncio tibi hic ego affuturam hodie ſcio.

Eſt enim quadratus iambicus. Sicut illum quoq; minus bene octonarium hypercatalecticum:

Probè. huic filium ſcis eſſe? audiui, in Aſia. non eſt pater.

Nam ſi iambum in prima ſede ſtatuas, & creticum in ſecunda ob poſitionem, aut dactylum ex natura ſyllabæ, ſeptenarius eſt. Sed, *audij*, pronunciandum eſt, ut, *Aſia*, ſit anapęſtus. Sin malis trochaicum, nō collidas aduerbium, *probè*, & erit anapæſtus prima in ſede, eritq́ue octonarius, trochaicus, catalecticus, & *Aſia*, biſyllabum. In Phormione fruſtra laborat tranſponendo uerba, ut numeris conſulat, eo uerſu:

Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias.

Mauult ita legi:

Ad pauca ut redeam.

At uerò uerbum, *redeam*, biſyllabum eſſe, uel ſexcentis locis, ubi opus eſt, conſtat. Eximit etiam uocalem huius præpoſitionis. *per*, eo uerſu Adelphorum:

Per oppreßionem ut hanc mihi eripere poſtulet.

At uerò, quid fuerit dicere, *proppreßionem*? nempe fri-

gidum admodum eſt,ne dicam abſurdum, nouum fugæ genus,quò euitet creticum fatalem illum: cùm tamen adeò molliter pronunciari poſsit, ut uix diuertat à natura ſpondei.Sed iam uereor ne quis eorum, quos ille multis locis premit fabulis atq; irridet, reponat ei gratiam, cùm in uerbo, *poſtulo*, ſciant ab ipſo exemptam mediam uocalem. Magno enim in periculo eſt, ne ab illis barbarus appelletur: propterea quòd Germani,præſertim noſtrates Vindelici, Carini, Norici, itẽm Sueui, Saxones ita illud uerbum pronunciant, uix ut eam uocalem exaudias.Verùm equidem, neq; irridebo maternos auos meos,neq; hominis conſilium, quippe qui memor ſim eius uerſus ex Caſina:Nunc ne tu reſpondere poſtules me tibi. Non igitur iudicium reprehendo,ſed iudicij locum. Ei enim uerſui optimo atque pulcherrimo quadrato, ex Andria, hanc iniuriam faciebat:

Cùm is nihil promereat:poſtulare,id gratiæ apponi ſibi.

Verũ & hic nihil neceſſe habeas concidere, & primam natura cùm corripiat, non potuit ſibilus impedimento eſſe in illo Caſinę uerſu,quin unico tantùm tempore proferretur. factũ enim eſt ex poſſe, & tollere. Neq; enim literas geminabant,quod etiam durat in præterito, *tetuli: & teram*, ſimplici elemento ſcriptã in libris augurum, ait Varro.& hoc monet nos plurimis locis Verrius,eiusq; interpres atq; imitator Feſtus. Cæterũ Eraſmus utinam eam curam alium in uerſum tranſtuliſſet,ad nomen hoc,*periculo*,potius quàm tolleret omnem ſermonis elegantiam,atq; adeò Atticiſmum.quippe pronomen,*hoc*.eſt autem ex Andria is:

Sine omni periculo nã hocce haud dubium eſt,quin Chremes.

Præſertim cùm anapæſtus eſſe potuerit in primo pede. Nã, *omnis*,primã corripit natura.ductum enim eſt παρὰ τȣ̃ ὁμῶς. Vniuerſitas enim fit ex rerum coniunctione.Eſt enim uniuerſum,extra quod nihil eſt. Neq; illas mutam ac liquidam potuiſſe cogere ſyllabam ad producendum, & pueri ſciunt, & Priſcianus docet ex Callimachi uerſu. Maior uerò difficultas obijcitur in

nominẽ

nomine hoc,*uoluptas:* ex quo ille uocalem mediam aufe rendam cenſet, eo uerſu Andriæ:

Quòd uolúptates eorum propriæ ſunt. nã mihi immortalitas.

Nonnihil uerò eſt, ſi ſit ita pronunciandum, *Folptas*. nihil enim ad Theutonicum ſonum accedere poteſt propius: atq; hoc ut effugeremus, aut conſtitueremus creticum in prima, aut etiam anapęſtum. Correpta enim coniũctio eſt alibi, uel iudicio illius, quare hic quoque eſſet. At fruſtra uiderer laborare: quoniam duo uerſus in Caſina ſunt, nihilo nobis ſecundiores.

Sine tuos ocellos deoſculer uoluptas mea.

Quid deoſculer te? quæ res? quæ uoluptas mea?

Nam niſi, *uolup*, legas, aut facias anapęſtum, ſanè aſpera eſt pronunciatio. Sed *uoluptas*, fuit uolupetas, à uolo & peto. quæ omnia cùm ſint breuia, non immutarunt naturam. Nam ſic quoque corripias in uerſu ex Heautontimorumeno, ſi ita legas ex Bembi codice:

Nec mihi fas eſſe ulla me uoluptate his frui.

Quanquam codex ille, de quo uir doctiſsimus atque ſanctiſsimus metitur noſtros, plus habuit tum apud nos uenerationis, ob uetuſtatem, tum apud illum opinionis ob nouitatém, quàm quantum re ipſa præſtare ualuerit. Omitto enim quæ ad priuarum uocum pertinent rationem. nam eę in Originum libris tibi ſatis explicatas puto. At quod ad uerſuũ ipſorum tractus ſpectat, operępretium eſt animaduertere multos, qui non conſtent: ueluti è Phormione hunc:

Quæ ſi aſtu non prouidentur: me aut herum peſſundabunt.

Ita dico apud hoſce qui creticum recipiunt nullum: in noſtratibus autem mollius legitur ſic:

Quæ ſi non aſtu prouidentur.

Vbi octonarius eſt. Itẽ ex Heautõtimorumeno ſic legit:

Pergin' mulier odioſa eſſe? nullámne ego rem in uita mea.

At in noſtris ſic legitur:

Venire in mentem. mi uir. oh pergin' mulier eſſe? ullámne ego.

Vbi uides, ſi addas omnia illa uerba, quæ præcedunt exprobrationem ſenis, uerſus fiat ſtadio longior. at illi

octonarij ſunt. Verùm lepor quoque in uerbis eſt illis, *Oh pergin' mulier eſſe*. plus enim eſt eſſe mulierem, quàm odioſam. In altero autem ſequente:

Rem unquam uolui, quin tu in ea mihi aduorſatrix fueris Soſtrata?

uidetur ſyllaba redundare. ſed *mi*, pronũcies, nõ *mihi*. Bembus autem ita legit, ut una defiat: ſic:

Volui: quin tu in ea mihi fueris aduorſatrix Soſtrata?

Locutionem quoque non leuiter pertrãſeas. Ille enim dicit, nullam'ne rem uolui? ſanè tolerabilis ſermo, cũ uerbo hoc, *uolo*. Nã negatio quæ eſt in nomine, in uerbum tranſit, & fit, ullam rem nolui. Non poſsis uerò dicere cum uerbo ſubſtantiuo, nulla'ne res eſt? quónã modo nanque eſſet, ſi non eſt? neque melius procedit ille ex eadem quem nos ſic:

Suſtuliſti. ſic eſt factum. domina, ergo herus damno auctus eſt. Ille ſic:

Suſtuliſti. ſic eſt factũ. domin'? ergo herus dãno auctus eſt.

At duo ſunt, quæ diſſuadent eſſe recipiendũ. Primùm uerſus, qui trochaicus ſit: quare in quinto pede iambũ ſtatuit: nos anapæſtum. Et minus ſimile ueri fuit, domi educatam, atq; herum latuiſſe. erat enim modica domus, quæ uel cœna Bacchidis premeretur. quare inepta fuiſſet interrogatio. Neq; fuiſſet auctus damno, quoniam domi educaſſet: ſed quoniam filiam, cui dos paranda eſſet. Itaque non foris educandam dedit, ſed exponendam. Præterea plus impendij eſt, ſi foris educantur liberi, quàm ſi domi. Sed & ille in Eunucho, toto uerbo longior eſt, temerè repetito.

Idq; adeò uiſam. uiſam ſi domiſt. quis'nã hinc à Thaide exit?

Sed ubique uidetur non minimi iudicij quiſpiam neglectis numeris lepôrem quæſiſſe orationis. ſicut in eadem fabula:

Nihil præter promiſſum.

At nos legebamus:

Nihil prætermiſſum.

Verùm hic argutia etiam dimenſionibus ſuum reliquit locum, ſi *nihil*, ſit monoſyllabum, quod frequentiſsimum

tiſsimũ eſt. Vult dicere, Phædriã nihil præſtaturũ eorum, quæ militi pollicebantur, neque quicquam illũ præter promiſſum laturum. Sed in eadem lepor quoque nitidiſsimus eſt, ijs uerſibus:

Illum liquet mihi deierare menſibus
Sex ſeptem prorſus non uidiſſe proximis.

Noſtri uulgatè nimis legebant, ſex uel ſeptem. Cæterùm & à numero excluditur cõiunctio, & à ſermonis puritate: ſicuti cùm dicimus, quinquaginta plus minus annos natus ſum. Illud quoque lepidius uidetur in Heautontimorumeno:

Confitere tu? au obſecro, iſtuc inimicis ſiet:

quàm quod legitur ab Eraſmo & alijs:

Confitere tuum non eſſe? ah obſecro te, iſthuc inimicis ſiet.

Splendidior eſt oratio repetita negatione ſenſu, non uerbis: & neceſſe eſt ita legi, quoniam præcedentes uerſus hic concinnat: quos uerſus tam Bembus, quàm Eraſmus malè diſponit. Bembus ſic:

Subditum ſe ſuſpicatur. ſubditum? ain' tu? certè. ſic erit mi uir.

Eraſmus ſic:

Subditum ſe ſuſpicatur. ſubditum? ain' tu? certè inquam mi uir.

Verùm uterq; longior eſt, Eraſmianus una ſyllaba: alter autem etiam pluribus. quare ita legendi ſunt, ut ſint trochaici octonarij catalectici:

Subditum ſe ſuſpicatur. ſubditum? ain' tu? certè inquam
Mi uir. confitere tu? au obſecro iſthuc inimicis ſiet.

Sic etiam ex Adelphis, illis duobus uerſibus, neuter eſt audiendus. Bembi codex ſic:

Obſecro mea nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas?
Rectè ædepol ſpero. modò dolores mea tu occipiunt primulum.

Eraſmus ſic:

Obſecro mea tu nutrix, quid nunc fiet? quid fiet rogas? rectè.

Ergo Eraſmus malè collocat aduerbiũ, rectè: Bembus malè omittit pronomen, tu: ut ſint iambici quadrati. Hęc quidẽ manifeſta lectio: at illa ambigua utra probior ſit. In Heautontimorumeno uetus exẽplar ſic habet:

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius uiuere? &
Quòd illum inſimulat durum, id non eſt. nam parentum iniuriæ
Vniuſmodi ſunt fermè: paulò qui eſt homo tolerabilis.
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò conuiuarier.

Bembus & aliquot eximit uerba, & alia ſerie digerit numeros:

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex huius uiuere?
Et quod illum inſimulant durum, id non eſt.
Nam parentum iniuriæ, uniuſmodi ſunt fermè.
Scortari crebrò uolunt, uolunt conuiuarier.

Sed numeros obterit Bembus, quarto uerſu: in quo & trochæum inuenias tertia ſede, & iambum ſexta: quare errorē ſubeſſe neceſſe eſt. & confundit uerſuū tum genera, tum quantitates. Noſtra autem lectio horum nihil: ſed aſperior uiſa eſt in ſententia: cùm tamen nō ſit. nam ita dicit: patres duros nihil remittere de imperio, quod exerceant in liberos: omnia animi laxamenta prohibere. at qui paulò eſt tolerabilior, aliqua ſanè patiatur: ſed non crebrò ea fieri. Mutauit autem numerum uerborum Terentius, cum in ſingulari dixit, *paulò qui eſt tolerabilis:* debuerat ſubdere, *non uult crebrò ſcortari liberos ſuos, non uult crebrò conuiuari.* Sed retulit numerum ad uniuerſitatem patrum. At in ſingulari tolerabilem poſuerat, quoniam rariores ſunt. Ita mutat numerum in Eunucho:

Eunuchum porrò dixti uelle te,
Quia ſolæ utuntur his reginæ.

Quam mutationem aliquis minus commodam cùm putaret, ſublatis illis uerbis, *paulò qui eſt homo tolerabilis:* quæ uitia prohiberent patres in noſtra lectione, ea fecit patrare flagitia filijs in ſua.

Hæc ſunt Syluiole fili, quæ laborioſiſſima opera excuſsi tibi: maioréne tædio tot ineptiarum, an metu, ne pari inſcitia caperere, neſcio. Omiſi uerò multa carmina controuerſa, aut ambigua, alia uaſta: quæ etiā ſi

adſa-

ad ſanitatem redigantur, at cura iſta noſtra uel ſic longè minora ſint. Verùm enimuerò neq; tibi puerilia uideri debent, qui iſta ætate literariæ laudis aditum omnem explorare iuberis ab indole tua, quæ magna ac multa promittit nobis: neq; mihi plebeia adeò, in quibus, omiſsis ſtudijs grauioribus, tantos illos uiros elaborare aliquid non pœnituit. Qui ſi quibus in locis lapſi ſunt, uel hoc ipſum eis debeatur, quod nos excitarint ad ueritatem. Cuius ſplendorem, fili mi, quouis nomine chariorem habere debes.

ANDREAE ALCIATI MEdiolanenſis, de Plautinorum carminum ratione libellus. Eiuſdem Lexicon, quo totus Plautus explicatur. Ad Gabrielem Catianum I. C. Patricium Brixianum.

IN Comicorum uerſuum ratione, primas partes iambus tenet, cuius prima ſyllaba breuis, ſecunda longa eſt. Ab hoc iambicum carmē dictū eſt, quod ſex conſtat pedibus: adeoq; apud ueteres magna fuit licentia, ut carmen quod Pythijs ſacris primum eſt factum, non modicam controuerſiam fecerit, heroicum ſeu hexametrum eſſet, an iambicum, ἰὴ παιάν. Semperque ab eo tempore ratio eius carminis anguſtior facta per manus fuit. Nam ab inuentrice ipſa Phamona apparet conditum fuiſſe, in qua iambus poneretur neceſſariò. Qui ſucceſſere deinde, ultimum uerſus pedem iambum fecêre, permiſeruntq; ſedes liberas, quibus & dactylus, & ſpondeus, & anapæſtus, & tribrachus collocaretur quam regulam antiqui noſtri comici ſequuti ſunt. Sic Plautus, ſic Terentius, ſic cæteri, quorum poemata interciderunt, reſtricta à Græcis fuit hæc licentia: qui pares ſedes, ſecundā ſcilicet, quartam, & ſextam, iambo tribuerunt, aliosq; pedes ſolis imparibus locis conſtitui poſſe crediderunt. Quam legem Euripi

des & Sophocles ubique ſeruant, & apud nos Seneca Tragicus. Admiſſum tamen eſt, nec uſq; dubium fuit, quin in ſecunda quoq; & quarta ſede tribrachus ſtare poſſet, quoniam temporibus iambo reſpondet: quæ enim in eo duæ ultimæ ſunt breues, longæ iambi ſyllabæ æqualiter pollent. Admiſit & Ariſtophanes ea in ſede anapæſtum: quem tamen nec Catullus quandoque obſeruauit, qui omnes iambos fecit, in illo:

Phaſellus ille quem uidetis hoſpites. Itemq;:

Quis hoc poteſt uidere, quis poteſt pati?

Sed id culpari in tragœdijs Terentianus exiſtimat. Cæterùm libertas illa, quam in hoc carmine Plautus Terentiusq; uſurparunt, ut ualde commoda illis fuit, quo melius & aptius res ipſas exponerent, ita plures Grammaticos fefellit: quia nec diſcernere metra potuerunt, nec proſa oratione ſcripſiſſe eos contra ueterum omnium auctoritatem, reiq; ipſius euidentiam crediderunt. Sunt autem iambici uerſus, quo Plautus uſus eſt, multa genera, ut dixi. in primis ſenarius eſt, qui frequentiſſimè occurrit, & in prologis, & ut plurimum in primis actibus. Eum Græci propter celeritatem trimetrum uocant. qualis eſt:

Vt uos in ueſtris uoltis mercimonijs.

Senario quandoq; ſyllaba in fine demitur: tumq; catalecticus dicitur. qualis ille eſt in prima ſcena:

Noctes dieſq; aſſiduò ſatis ſuperq; eſt.

cum ſeptem ſequentibus.

Quandoq; non in fine, ſed in principio demitur: & trimeter brachicatalecticus dicitur. ut in eadem ſcena:

Nónne idem hoc lucis me mittere potuit?

& rurſus:

Partiti uiri, diſpartiti ordines.

cum pluribus ſequentibus. idq; carmen & trochaicũ dici poteſt quo genere & in Trucul. ſenarios trochaicos acatalecticos fecit

Ad fores auſcultate, atq; aſſeruate ædes, &c.

Qua in ſcena mixtim brachicatalecticis & acatalecticis

cis uſus eſt. Quapropter confudit iambicis trochaica. quod & à Terentio quoq; factum:

Adhuc Archillis, quæ aſſolent, quæq; oportet.

Inter trimetros ſunt, qui claudi uocantur. & ij quidẽ ſcazontes, quòd uidelicet ultima in ſede ſpondæum pro iambo habeant. quę carminis ſpecies rarò in Comicis inuenitur. in Captiueis tamen legitur, ſi modò corrupta non ſunt exemplaria:

Aui me feræ conſimilem faciam ut prædixti.

Et hæc de timetro ſatis.

Eſt & dimeter, quatuor pedes habens, eiuſdem rationis, cuius & ſenarius eſt. huic quandoq; ſyllaba in fine additur, & fit hypercatalecticus. ut ille:

Hoſpitio publicitùs accipiar.

Cui carmini ſi ſibilũ elidas, fiet iuſtus dimeter. Quandoq; demitur ſyllaba, & fit catalecticus. ut ille:

Ingratis excitauit.

Eſt quandoque legere aliquos trium ſyllabarum. ut illum:

Qui hoc noctis à portu. Item:

Ita peregrè adueniens.

Eſt & duarum ſyllabarum, qui monometer dicitur. ut in Trucul.

Peßima mane.

Odioſus es.

Sed huiuſmodi rara ſunt: & non ſine uitio inſeruntur trimetris & tetrametris: niſi cum ponuntur uel cauſa finiendi ſermonis, uel proferuntur à timente, qui effari diutius non audeat, uel ſomniculoſo, uel ſimili aliqua ratione defendantur. Nunc de tetrametris uideamus.

Tetrameter octo eſt pedũ, unde octonarius dicitur: ueteres quadratum appellauerunt. is eandem & ipſe regulam habet, quam ſenarius, niſi quòd duobus pedibus maior eſt; ut,

Qui me nunc alter eſt audacior homo? aut confidentior?

Claudicat & quandoq;, exemplo ſenarij ſcazontis, & ultimum pedem ſpondæum habet. ut in Aſinaria:

Perfidiæ laudes gratiasq; habemus meritò dijs magnas.
Sed id rarum eſt in iuſto tetrametro. Eſt & tetrameter brachicatalecticus, cui à principio demitur ſyllaba. is & trochaicus dici poteſt. Quod carmen frequentiſsimum eſt comicis omnibus. ut illud:

Bene uale Alcumena, cura rem communem, quod facis.
Reperiuntur pleriq; mixti brachicatalectici, cũ acatalecticis. Sunt & quædam, quæ utriuſq; generis eſſe poſſunt: ut quod ſequitur:

Mihi neceſſe eſt ire hinc: uerùm quod erit natũ, tollito.
Nam ſi in ſcanſione mihi iambus ſit perfectus, octonarius erit: ſi uerò iungatur ſequẽti ſyllabæ, ut ſit tribrachus, fiet carmen brachicatalecticũ iambicũ. unde cũ facillimũ ſit in ſcanſione decipi, ea quæ ambigua ſunt, ſecundum eorum tenorem accipi debent, quæ huiuſmodi dubitationem non habeant. Fuiſſe autem hos uerſus uulgò apud ueteres in uſu, illud argumento eſt, quòd à militibus in triumpho Cæſaris non alio genere tractata ſunt ſcommata:

Gallias Cæſar ſubegit: Nicomedes Cæſarem. Item:
Vrbani ſeruate uxores, mœchum Caluum adducimus.
Sic & apud Tranquillum Auguſtus moriens:

Δότε κρότον καὶ πάντες ὑμεῖς χαρᾶς κτυπήσατε.
Sanè octonariorum raris hypercatalecticis uſi ſunt poetæ: quoniam ſat longum ex ſe carmen eſt: in Aulularia tamen & horum exemplum reperire eſt.

Optati ciues populares incolæ, accolæ, aduenæ omnes mihi.
Quòd ſi aliqui etiam reperiuntur longiores (quod tamen rariſsimũ eſt) puto id uitio ſcriptoris eſſe factũ. ut in Amphitru.

Satius me queri ſeruitutem modo, hodie qui fuerim liber.
Habet enim hoc carmẽ nouem pedes, ſed corruptum arbitror. Verùm de octonario hactenus.
Fecit & Plautus ſeptenarios, quorum exemplum eſt:

Amphitruo adſum. ſi quid opus eſt impera, imperiũ exequar.
& quæ ſequuntur. Item apud Cicer. in Tuſcul.

Adſum, atq; aduenio acheronte uix uia alta atq; ardua.
Fiuntq; ex his aliqui hypercatalectici, ut in Aſinaria:

Vt demonſtratæ ſunt mihi, haſce ædes eſſe oportet,
Demenetus ubi dicitur habitare. i puere pulta. &:
Satis parua res eſt uoluptatum in uita atq; ætate.

Sed & in eiſdem legibus conditi ſunt, quibus ſuperiora iambica: & ideo non operæprecium arbitror de his diſſerere, quando pro imperitorum rudimentis hæc paucula ſatis fore exiſtimem.

Explicauimus comicorum carminum rationem. ſupereſt ut de licentia ueterum in eorum ſcanſione aliquid dicamus: quæ profectò tam effuſè dilatata eſt, ut ſimillimos proſæ uerſus ipſos fecerit.

Et in primis in hiſce carminibus plerunque cernere eſt, adeſſe amphimacrum, qui mediam ſyllabam breuem inter duas breues habet. cum tamen præcepta ueterum hunc pedem in hoc genere non admittant. ratioque ipſa planè reclamet. Non enim iambicũ carmen ingrediuntur pedes, quorum plura ſunt tempora quàm quatuor. Sic dactylus, ſic anapeſtus admiſſus eſt. at amphimacrus quinque conſtat temporibus. igitur cum pedem hunc Plautus poſuit conſiderandum eſt, ut plurimum aut pro dactylo poſitum, aut pro ſpondeo: pro dactylo quãdo ultima produceretur, propter concurſum duarum conſonantiũ, ut ipſe more antiquo ſibilum abijcit. ut in illo:

Dixi futuram hanc, Deus ſum commutauero.

Hanc Deus amphimacrus eſt: ſed per abiectionem literæ ſ, fit dactylus. pro ſpondeo quando duæ uocales ꝓximæ ſũt, easq; poſtea in unũ coarctat, ut in illo:

Tum meo patri autem torulus inerit aureus.

meo ibi una ſyllaba eſt. eſtq; huius uerſus primus pes ſpondeus, non autem amphimacrus ſeu creticus: quę rationes ubi ceſſant, cenſendum eſt carmen eſſe uentrioſum, & primam ſyllabam abundare, de quo uitio infrà dicetur. Et his conſequens eſt, ut plerunq; inueniamus plures ſyllabas coarctatas in uarijs nominibus. ut in Pſeudolo:

Duorum labori ego hominum parſiſſem libens,
Mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi,

Nam

Nam ibi Duorum, & Mei Te, itemq́; & Tui, propter ſynalœphen ſpondei ſunt. quod tam frequenter occurrit, ut nulla ſit ſcena, in qua ſæpius id factum reperiatur. Nec omnino à caſtigatioribus auctoribus id prætermiſſum eſt. Nam eadem ratione, ut arbitror, & Vergilius dixit:

Fluuiorum rex Eridanus? &:

Hærent parietibus ſcalæ.—itemq́; :

—*Vno eodemq́; igni.*

Quod & Propertius uſurpauit:

Hoc eodem ferro ſtilet uterq; cruor.

Sic & Auſonius:

Molle aurum pallijs Græcia terra tuis

Quæ omnia exemplo ueterum comicorum ſuſtineri poſſunt. Plautus:

Eos me decretum eſt perſequi mores patris,
Ait ſeſe Athenas fugere cupere ex hac domo.
Nunc quid proceſſerim huc & quid mihi uoluerim.
Profectus uno partu duos edidit ſimul,
Eidem homini ſi quid rectè curatum uelis,
Vnum iſtorum quodq; nummis Philippeis aureis.

Quibus uerſibus, eos, ait, mihi, duos, in unã ſyllabã, eidem in duas, Philippeis in tres contrahuntur. poſſuntque huius rei infinita adduci exempla. ſed hæc ſufficant.

Ecõuerſò quãdoq; una ſyllaba in duas diuiſam reperimus, ut in illo:

Hoc agite ſultis ſpectatores nunc iam.

Nam iam ibi biſyllabum eſt & iambum efficit, ſic & de in biſyllabum: atq; id genus non paucas uoces. Quandoq; etiam litera nunc euphoniæ, nunc carminis cauſa interponitur, ut cum antidhac pro antehac, mederga pro erga me ſcriptum legimus. Sic & in Curculione:

Quo te dhoc noctis dicã proficiſci foras: pro, hoc noctis. Vice uerſa reperitur aliquotiens ablata litera: idque metri cauſa. ut in Trinum. ubi carmen hoc eſt quadratum brachicatalecticum:

Atq; erit ſi nactus proinde ut corde amantes ſunt cati.

ubi elementum p ſuſtulit, & catũ pro capto, dixit. qua licentia in ſuo quoq; tumulo, quem tribus longis uerſibus fecit, ſibi uſurpauit:

Poſtquam eſt morte catus Plautus, comœdia luget,
Et ſcena eſt deſerta, dein riſusq; iocusq;,
Et numeri innumeri ſimul omnes collachrimant.

Niſi Græca licentia id factum dicamus, apud quos, ut Herodianus ait, duæ mutæ quandoq; communẽ ſyllabam efficiunt. cuius rei exempla adducit in uerbo πέπτωκα. Sic & Homerus in dactylo primã corripuit:

ἐπὶ λέκτρου ἰὼν ἄκρον δάκτυλον κυλάδακα.

Sic in primo Epigr.

Ελπὶς ἀξιότοιο κλέπτει νοόν.

Fecit & uerſus una ſyllaba in medio abundantes, quos Græci προκιλίους, quaſi uentum facientes, dicunt. ut in Ruden.

Ita omnes de tecto deturbauit tegulas,
Illuſtriores fecit, feneſtrasq; indedit.

Item in Ciſtellaria:

Augetur auxilia ueſtris iunctis legionibus.

In qua re uidetur Homerum imitatus, apud quẽ Grammatici id genus quædam annotarunt. unde & Vergilium opinor ſcripſiſſe:

Inter ſe coïſſe uiros & decernere ferro.

Fecit & quoſdam, quibus à principio id ritui eſt. ut in Rudent.

Qui quidem hercle illi ſocius eſſe diceris.

& in Pſeud.

Has quidem pol credo niſi Sibylla legerit.

In quibuſdam quoq; carminibus concurrentibus uocalibus, colliſsionem nullam fecit. ut in illo Amphitr.

In ſuperiore qui habito cœnaculo.

ubi re qui ha tribrachus eſt. qua ratione credimus & Vergilium uſum in illo:

—An qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt.

ubi qui, nõ colliditur, ſed ſecunda eſt dactyli ſyllaba, collidi-

liditurq́; ſolùm tempus, & ex longa fit breuis. Sed & in Pſeudol.

Interpretari alium poſſe neminem.

ubi ri ali tribrachus eſt. Eadem ratione etiam dictiones in m terminatas, ſequente uocali non colliſit. in Menæchm.

Sanum adoleſcens ſinciput intelligo.

Sed & Ennius clariſsimè id oſtendit:

Conuenêre decem tum milia militum octo.

In ultima quoque ſede pro iambo anapæſtum poſuit, uel tribrachum. ut in Rudent.

Palæſtra atq; Ampeliſca ubi eſtis nunc miſeræ.

& rurſus:

Reti piſcator de mari extraxit uidulum.

& in Aſinaria:

Face iam tu præco auritum populum.

Quod ut in ueteribus à reprehenſione procul eſt, ita eos recentiores omnino non probo, qui in eundē ſcopulum identidem impingunt: qualis Phylelphus fuit, & Ambroſius monachus: cū tamē rariſsimè id à Plauto factū appareat. Poſtremò id Plauto cū Lucilio, Lucretio, cæteriſq́; Poetis omnibus ante Vergilium commune fuit, ut in dictionibus in ſ terminantibus, ſibilum ipſum abijcerent. quod millies ab eo factum eſt. ſed unum exemplum ſufficiat ex Captiuis:

Huiuſmodi paucas poetæ repperiunt comœdias.

ubi huiuſmodi, dactylus eſt. quam rem, quum non animaduertiſſet Pylades, pro Repperiunt, ſubſtituit, Refferunt: contra ueterem lectionem. De figuris Plautinis loqui in præſentia ſuperſedeo, quòd nimis longum id eſſet: magiſque ad interpretem pertinet, qui niſi omnes locos excutiat, negligentiæ reus eſt, quàm ad me, cui huiuſmodi ſtudia in ſecundis ſunt. Nec enim opinor ullam elocutionis figuram à Grammaticis tradi, cuius exemplum apud hunc Poetam repperiri non poſsit. Nos unicam attingemus. Eſt Græcis figura, quam παρυπονοίαν, poſſumus dicere, quum præter expectationem ſubijcitur aliquid, quod abſurdum

ſurdum uidetur: idque fit ridendi cauſa. ut apud Ariſtophanẽ in Nubibus, cum dixiſſet diſcipulus, Socratem farinæ parandæ, ſeu Geometriæ docendæ cauſa, ſumpſiſſe & circinum, ſubdit ex improuiſo:

Εκ τῆς παλαίστρας θοιμάτιον ὑφείλετο.

id eſt: Ipſa ex palæſtra pallium ſurripuit. Id & in Aſinaria fecit Plautus:

Ad pedes quando alligatus es æquom centupondium,
Vbi manus manicæ complexæ atq; adductæ ad trabem,
Nec dependes, nec propendes, quin malus nequicquam ſis.

Id enim ultimum παρὰ τὴν ὑπόνοιαν eſt.

ANDREAE ALCIATI I. C.
clariſſ. in Plauti Comœdias Lexicon.

A

ADorea gloria: quoniã qui ador, id eſt, far plurimum habebant, apud ueteres in laude ſumma erant.

Aetatem, aduerbialiter pro diu. unde ætatem expetere, diu durare.

Albæ quadrigæ, ideo dictum, quia albi equi celeritate inſignes è Thracia ueniebant. Vergil.

——Maculis cum Thracius albis
Portat equus.—— Horat.
——Barros ut equis præcederet albis,

Apul. Ex Theſſalia uenire autor eſt, me equo indigena peralbo uehens: eſt autem ea Thraciæ proxima.

Aeacidinæ minæ, id eſt Achillis, ab cuius ira Homerus cœpit.

Aula, olla.

Addere manũ, deridere eſt: ſumpta metaphora ab ijs, qui medio digito uel manu ad aurem admota, quẽpiam illudunt. quid ſi ab ijs, qui aliquem percutiũt? Nam addere, inimicitias cum aliquo gerere aliquando ſignificat.

Vergil. — *Nec Teucris addita Iuno.*

Artopta, inſtrumentum, quo panis coquitur, qui artoptitius inde dicitur. Plinius.

Alieno uti nihil moror, dictum in Captiuis, ex conſuetudine eorum qui reliqua ſoluunt.

Agoranomus, qui foro rerum uenaliũ legem præſcribit, qualis eſt ædilis Romanis & municipibus.

Aſſulæ, ſegmina aſſerum, quæ à ſerra eijciuntur. itemq; fragmenta tenuiſsima. unde aſſulatim, minutatim.

Amphora, ſextarios habet 48. eſt ſextarius unciarum noſtrarum 15. ut aliàs diſputatum à nobis eſt.

Alcedonia tranquillitas, prouerbium deductum ab aue Alcyone, quæ cum nidificat, ſedatur mare. inde alcyonij dies. Ariſtophanes in Auibus, & Lucianus in Dialogo quodam, itemque Theocritus idyllio 7.

Acer, & acus aceris, tritici excrementum, ſeu grani paleam, & frumenti purgamentum ſignificat. Græci ἄχυρα dicunt. Ariſtoph. τοὺ γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω. Tirinthios achyrades primùm habuiſſe in cibo, autor eſt Aelianus.

Atriẽſes, ſerui honoratioris gradus: quia in atrio ſportulas alijs diſtribuebant, non deligebantur ad hoc munus, niſi qui dominis cariſsimi fuiſſent.

Actam rem agis. Prouerbium à re iudicata, quam iterum iudicare non licet.

Auctorem, tutorem, & conſiliarium.

Autoritas, ſententia eſt, quam quis primus inuenit. Idem Aut. lib. 6. Parerg. cap. 6.

Alcati dentes, longi & prominentes, ab Alce fera, quæ in Herycinia ſylua reperitur. Cæſar in comment. & Plin.

Auſtrum perculi, operam luſi, quoniam percuſſus aer iſtum eludit. Sunt qui, pertuli, legant: referuntque ad eius uenti naturã, qui auditum hebetat, & ferè ſtupidum hominẽ facit, ut inde ſit prouerbij origo.

Apola-

Apolactizo, calcitro, repello.
Articulo meo emere, eſt ex iuſſu & pſcripto meo emere. Emptores .n. eleuata manu, & micātib. articulis, id eſt digitis, cōtractū perficiebant. unde & mancipes dicti.
Aſperſiſti aqua, id eſt, animū reddidiſti: trāslatio ab ijs qui deficiunt, & aſperſa in faciem aqua reſtituūtur. Sic ancilla in Amphitr. aquam ſibi dari poſtulat. (ire obuiā.
Aduerſitores, ſerui. quorum officiū eſt, redeunti domino
Agitatores equorum in Circenſib. ludis nunquam retrò reſpiciebant, ne interim puenirentur ab aduerſario.
Aſcriptitij milites, in albo quidem deſcripti erāt, ſed adhuc ſacramento militari in numeros non relati.
Aeſtiuè uiaticari, eſt leuiter, ut aliq ſentiūt, aut poti⁹ diu eſſe cū uiaticamur, id eſt, abſumus, & uiaticū cōſumim⁹. Aeſtas enim lōga eſt ppter dies. unde hora æſtiua.
Amuſsitata, perfecta, adamuſsim facta. Amuſsis enim regula eſt fabrorum, uel ferramentum, quo in polliendo utuntur.
Apulos & Vmbros, ruſticitate & moroſitate inſignes fuiſſe conſtat, cum Epheſij, ſicut cæteri Aſiatici, molles & hilares eſſent. Sed de Vmbris infrà.
Athenæ deſciuerint. Prouerbium in rem non ueriſimilem, ut prudentes inſaniant.
Ampulla, cuius oleo uiatores corpora inungebant, fiebat ex corio: unde ampullarij artifices, & ampullarię cauillationes, quæ in balneo dicūtur, dū corpus inūgimus.
Admœnire, ad mœnia ire, & circumuallare.
Ariſtarchus Tegeates, poeta tragicus, coætaneus Euripidi, tragœdiā Achillem inſcripſit, quam in Latinum Ennius tranſtulit, ut eſt apud Feſtū in dictione prolatare, ubi Enniū in Achille Ariſtarchū habet autorē. eius duo carmina Plautus in Prologo Pœnuli retulit.
Aphrodiſia, feſta Veneris.
Alicariæ meretrices, uiles, & ſolitæ ante piſtrinum Alicariorum uerſari.
Aes pro capite dato, id eſt, dato precio libertatem à dominis emito.
Anaſtorium, urbs in Aetholia.
Arbinam in Pœn. id eſt, pinguedinem corporis, quā per

ridiculum nominat ſeruus, cũ Pœnus aſſam Punicè dixiſſet, quę Latinè aſſatam ſignificat.

Adludiare, blandiri mulieri.

Allex, ab alliciendo, ſicuti illex.

Abietem, tabellam ex abiete.

Alcmena, Euripidis Tragœdia, in qua deſcripſit maximos turbines & terræmotus in partu Alcumenę, Herculem enitentis. Sed tamen nõ uideo, quomodo Alcmenæ argumentum tragœdiæ conueniat? nec uſquam hoc nomine Euripidis fabula citatur. quare fortè melius legeretur, Alcmæon, qui Amphyarai filius fuit, & cæſa matre in inſaniam uerſus: ut fortè ad eius fabulæ locum alluſerit Plautus, ubi per furorem deſcribitur, tegulas omnes domus cõfringere. Hanc fabulã Euripidis in Latinum tranſtulit, Ennius, unde à Grãmaticis quandoq; citatur in Alcmæone Euripidis.

Antracina, carbonaria. Antrax enim carbo eſt.

Ae, ae, interiectio ridentis, uel riſum habentis, in Pœnulo. Apud Græcos contrariæ eſt ſignificationis, nimirũ eiulantis.

Admittere, quandoq; pro remittere.

Ad plures penetrare, in Trinummo, eſt mori: acceptũ ab oraculo reddito Magarenſibus, quo Apollo Delphicus reſpondit, felices eos futuros, ſi cum pluribus conſultarent. unde illi curiam extruxerunt, ubi ſepulchra heroum erant. Pauſan. lib. 1.

Apotheca, quodlibet repoſitorium dici poteſt: ſed in Trinummo uidetur eſſe dactilotheca.

Atticorum impudentiam ac auaritiam damnat Plautus in Trucu. Næ hercle in oculis reſident mores priſtini. utrumq; etiam in Gręcis prouerbijs taxatum, ἀττικὸν βλέπος, id eſt, aſpectus Atticus. & τὴν χεῖρα καὶ ἀποθνήσκων ὑπέχει ἀνὴρ ἀττικός: Cum moritur, etiã porrigit manus Atticus.

Arma, armillæ.

Aurum maceratum in Pœn. uidentur eſſe rotulæ ex napis fuluis factæ. Conſtat enim, napis & rapis maceratis pingues fieri boues in Italia. Comœdi autem rotulis illis in actione utebantur, ceu auro, propter coloris ſimili-

militudinē, & quia ſpectatoribus qui procul aberant, ita uidebatur.

Anteſtari. Cū quis in ius uocabatur, certæ ſolēnitatis erat anteſtari, id eſt, teſtes cōuocare, et rogare, ut memoriter tenerent, eum in ius uocari: tangebant eis infimā auriculā, ꝙ is memoriꝑ locus ſit, ut autor eſt Plinius.

Addico, uerbum eſt Prætoris, quo in executionibus utitur, cum rem addicit, id eſt, dominiū alterius, ſententia ſua transfert. hinc addictus, cōdemnatus, mancipatus.

Aduerſaui animo, id eſt, aduorti, & mente uerſaui.

B

Blatterare, nugas effutire.

Boiæ, compedum ſpecies, ut quidā putant, è bubulo corio. Sed, ut ego opinor, ex nomine gentis, apud quam in uſu erat. hodie uulgo noſtro ſeruat nomen.

Badizare, Græca uox, ſignificat incedere.

Betere, ire: unde præterbitere, & rebitere, imbitere.

Barbarica lex in Captiuis, id eſt, Romana. Sic enim Greci, apud quos comœdiæ finguntur agi, Romanos appellabant. Innuitur autem ea, quæ à Q. Vario acta eſt, in eos, qui in Remp. conſpiraſſent, quiq; conſiliū iniſſent, quo pop. Rom. uita uel uictu prohiberent. & Barbaricus ritus in menſis eſt Romanus, & frugalis, in Caſina.

Battuere, percutere eſt, hodie apud Italos & Gallos in uſu uocabulum.

Bardus, ſtultus, inſanus, tardi & hebetis ingenij.

Bucones, qui buccas habent magnas & prepingues. hi utplurimum ſocordes ſunt.

Bubulcitari, boues curare, & ea facere, quæ ad bubulcum attinent.

Bucedæ, qui corijs bubulis cęduntur.

Baneæ, ſoleæ, uel, ut alij dicunt, calcei.

Bombomachides Cliniſtatides, Archides, conficta nomina à milite, ſuas laudes falſò extollēte: ut ridiculi ſint, qui hic Bembinam quęrunt.

Bacchari aulā, uidetur dictū à ſono, quādo bibitur: quoniam aula, id eſt olla, bac bac fictitiū ſonum facit: ſicut cadi quaſſant, hoc eſt, quas quas, ſtrepunt. Sanè bacchari, eſt etiam ualde commoueri, Non. Mar. autore.

Bat, babe, bombax, uoces effictæ, ſed diuerſæ ſignificationis.

Blitum, oleris genus inſipidi, unde in ridenda alicuius ſocordia, uulgus bliteum dicebat.

Balioli uidētur hoc cognomine peculiariter dicti Aphri, à colore balio, qui eſt color tritici noſtratis.

Balanus, aquatile animal, è genere teſtarū, apud Ariſtot. unde qui baiano in Rudente corrigūt, non meminere eam fabulam Cyrenis agi.

Bellatula, belliata, bellula, deducta diminutiua à bella.

Batioca, patera aurea, ad ſacra.

Bibendi lex traditur Græca cantione: Καὶ πέντε πίνε, καὶ τρίς πίνε, ἅμα τέτταρας. id eſt: Et quinq; bibe, & tres, & ſimul quatuor. Qua lege duodecim cyathos bibere, hoc eſt ſeſtariū pmittitur. Hæ ſunt quindecim unciæ noſtræ. Fuere enim antiqui aliquanto parciores uini, quàm nūc ſint noſtri. Sic & Hora. Ternos ter cyathos attonitus bibat uates, tres prohibet ſupra rixarū metuens tangere gratiā. Alij ἡμιτέτταρας legunt, id eſt, ſemi quatuor, ut decem cyathos tantum cōcedāt: quod στεφάνιον amicæ nomē totidē literis Latinè conſtet: & hoc ex conſuetudine ueterum, cuius Marti. meminit: Næuia ſex cyathis, ſeptem Iuſtina bibat, &c. Et hoc eſt quod inquit, totidem digitis quot in manu. his enim denarius numerus oſtenditur. Alij ἢ μὴ τέτταρα, id eſt, ne quatuor, legunt: ut præſcribatur hoc carmine modus diluēdi uini, duas uidelicet uini partes ad quinque calicis, aut una ad tres bibi oportere, ad quatuor nō oportere, quoniam ſit dilutius futurum, quàm ratio ſanitatis exigat. Et hanc interpretationem Atheneus probat. mihi ſecunda Plautino ſenſui magis conuenire uidetur.

Bonus leno in Pœn. dicitur, qui ſimilis malo eſt, quia nō conuenit Lenonē eſſe ore probo: idq; per antiphraſin.

C

Campe, Græca uox erucā ſignificat, quæ olera & arbores infeſtat, præſertim ſolſtitiali tempore, & in magnis caloribus.

Campas dictis abigi, prouerbialiter dictum de his, qui uerba non curarent, ſed rem ipſam. ſolent enim erucæ quibuſdam carminibus abigi de arboribus, M. Catoni.

Coactio nihili, in Aſinaria, eſt coactio ęris alieni, exactio: unde coactores, qui & collectarij dicuntur. Nomina, quæ argentarijs ob difficultatem uel inimicitias exigere non uacabat, emebant uel ipſi certa mercede, pacta exigebant debita. Sed cum pauca conſequerentur, factum prouerbium eſt, nihili coactio: quo eos excludimus, qui ſibi cedi pecuniam poſtulabant. Videmus enim huiuſmodi nomina nihili æſtimari, ſi præſenti pecuniæ conferantur. Scio alios aliter hunc locũ interpretari, ut qui coactionem legant, itemq; qui iocionem, pro aruſpice & diuinatore. Sed noſtra ſententia & optimè ſenſui quadrat, & ueterum codicum autoritate defenditur. Coactorem fuiſſe patrem ſuum atteſtatur Horatius his uerbis:

Si præco paruas, aut ut fuit ipſe coactor,
Mercedes ſequerer. ——

Tranquillus auum Veſpaſiani coactiones argentarias factitaſſe autor eſt. Seneca lib. Epiſt. 11. Fœneratorem, inquit, à foro non fugat coactor. Coactoris mentio eſt & apud Cicer. oratione pro Rabirio Poſthumo.

Capite raſo. Accipientes libertatẽ in tẽplo deæ Feronię radebant caput, & accepto pileo liberi fiebant. Non. Marcellus.

Cauea, conſeſſus eſt ſpectatorum. Hinc in Prologo Aſin. Age nunc reſide caueæ, gratus eſt modus. ut appareat, quàm infeliciter Hermolaus eum locum intellexerit, qui nunc graxis, nunc gratis legit, inepto ſenſu.

Cirnea, uaſculum uinarium.

Ceriti, Cereris ira furentes, & uexati.

Commentus fies, pro commonitus. Marcellus.

Cernere, contendere: unde frequentatiuum certo. Vnde Vergil.

——*Ferro atque armis decernere.*——

Creui, uidi, præteritum à cerno.

Celox, nauigij genus, à celeritate.

Corbita, nauis magna & tarda. unde corbitare, pro ire.
Caſteria, locus in naui, ubi remi ceſſante nauigatione reponuntur.
Cereri ſacra abſq; uino fiebãt, ut etiã Macrobius ſcripſit: hanc ob cauſam opinor, ne potiſsimũ mortalib. donũ Cereris aliena ope indigere uideretur. Similia erãt apud Athenienſes Νηφάλια. de quibus Suidas.
Canterij, equi caſtrati. hi ſtantes dormiunt. unde canterino ritu ſomniare.
Carinarij, qui colore nucis ueſtes intingũt. Sunt qui cerinarij legant, à ueſte cerina, quę ceræ colorem imitatur.
Crocota ueſtis crocei coloris, muliebris & delicata, qua indutus Bacchus ad inferos tendit, apud Ariſtophanem in Ranis: ὁρῶν λεόντην ἐπὶ κροκώτῳ, &c. hinc crocotula, & crocotarij.
Cauillam, cauillum, cauillationẽ eodem ſenſu dicimus. Hinc cauillator, quem ruſtici cauillinatorem dicunt. Eos irridet Plautus in Trucul.
Congialis, quæ congij capax eſt. cõgius ſextarios ſex continet, ſextarius unciarum eſt quindecim.
Cenſio, animaduerſio eſt.
Choragium, ductio chori & pompæ: item inſtrumentũ ſcenicum, quod qui locat, choragus appellatur.
Comediſtici, innouatum Plaut. à comedendo. Nam ſi ab incõmodo deduceretur, ſcribẽdũ incõmodici, nõ aũt incõmodiſtici.
Collaria, uinculi genus, quo collũ ligatur.
Cora, puellam ſignificat: ſed emphaticoteros Proſerpina accipitur. eſt & huius nominis urbs in Latio. Quapropter cum paraſitus primò per Coram, id eſt Proſerpinam iuraſſet, tanquam de urbe intellexiſſet, ſubſequitur, per Præneſte, Sigoriã, Fruſinonem, Alatrium: quæ Latinæ urbes ſunt.
Comitialis morbus inſputatur, id eſt, deſpuitur, & ſaliua eius contagia regeruntur. Plin. lib. 28. cap. 4. Non autẽ credendum inſputationem ipſam prodeſſe comitiali.
Condicere, priſca lingua denunciare eſt. unde actiones in perſonam, quibus aliquem dare aut facere intendimus, condictiones dicuntur in Inſtitutionibus iuris.

Colla-

Collatiuus uenter, magnus & turgidus, in quem omnia edulia congeruntur. Feſtus.

Choriæ, inteſtina. Græcè neutro genere τὰ χόρια, proferuntur. Vnde Choriendrus nomẽ, ridiculi cauſa confictum.

Comarchus, princeps pagi.

Conuellere, decipere. Marcel. Alij recedere & fugere, metaphoricôs ab imperatorib. q recedẽtes ſigna cõuellũt.

Centuriari uidetur ſignificare, in centuriam & manipulũ recipi, & ſcribi. ꝙ ſi huiuſmodi manipulus ſit expunctus, id eſt reiectus & excluſus ab imperatore, ille qui in eo centuriatur, nihil ſtipendij conſequitur, & excluſus remanet.

Catellus, uinculum ferreum eſt, quod canis quoq; dicitur: & fortè quòd eo canes alligari ſoleant. quid ſi genus ſit mallij, ſicut upupa?

Caſinæ prologus non uidetur mihi Plauti eſſe, ſed poetæ poſterioris Apuli, qui terrã ſuam in Apulia Ennam celebrat, ubi moribus admiſſum erat, ut ſerui uxorem ducerent: cùm iure Romano ius matrimonij ſolis quiritibus, non autem ſeruis concederetur. nam Plautus ex Vmbria fuit.

Caluiri, fruſtrari eſt, à caluis inimicis ducta metaphora. Max. Feſtus. Plautus in Caſina.

Cõpendiũ & impẽdiũ, contraria ſunt. impendium enim impenſam ſignificat: compendiũ, lucrũ, ex modica impenſa. hinc, ponere ad compendium, in Caſ. εἰρωνικῶς.

Cólax adulatorem ſignificat, cõueniens paraſito nomen. uetuſtiſsimi enim Græcorũ κόλον cibum uocabãt: unde & κοίλιον uentrem dixerunt. Sed in Caſina corax pro coruo uidetur accipiendum, qui cũ ſatur eſt, tum maximè cantat. Sed quid ſi de colace paraſito, qui Næuij fabulæ nomen dedit, intelligamus: unde Gnatonis perſonam mutuatus eſt Terent. in Eunucho?

Commodum, aduerbium, pro iam.

Catillare, canum more per alienas domos uagari. Fulg.

Canina cœna, qua aqua bibitur, A. Gellio.

Copem, copioſam, Marcello.

Conquiniſcere, inclinare, capitur nonnunquã in obſcœnum ſenſum.

Crepundia, ornamenta & oblectamenta infantium, in cunis præſertim, ut enſiculus aureus, bulla, ſucula, maniculæ, anulus, & huiuſmodi.

Cluo ſum, dicor, exiſtimor. clueo, pugno: unde cluacinæ Veneris templum, ubi pugnauerunt Sabini cum Romulo ob raptas mulieres.

Ceſitium linteolum, quod à cedendo ad candorem perueniat, uel quòd oras circumciſas habeat. Marcel. quid ſi à cæſio colore?

Caltula reſtis, à colore caltæ.

Cymatile, ab undis nomen ſumpſit: & ueſtis eſt, & color fluctuantis maris.

Centones farcire, eſt nugas ac mendacia conſuere: ductũ uel à centone poemate, uel à linteo uarijs contexto filis. uide Eraſmum in Adag.

Circe in Epid. in prouerbium uenit meretricum, ut eſt in Epigrammate Græco: τὴν κίρκην οὐ φημί, καθὼς εἴρηκεν ὅμηρος. & quæ ſequuntur.

Comitiales, qui quotidie ſtant in comitio & foro, in quo ſunt uenalia.

Clinia ex Demetrio. Clinias Alcibiadis pater fuit: & hoc nomine apud Platonem de legibus diſputat. Sed in Bacchide uidetur nomen adoleſcentis, quem in comœdia Menandri Demetrius obiurgat.

Comes comedis.

Calidum mendacium, feſtinatum, & de improuiſo factum. Sic & Græci θερμὸν interpretantur, non ſimpliciter calidum, ſed inauditum, præceps, audax. Ariſtoph. in Pluto: ὦ θερμὸν ἔργον κανόσιον καὶ παράνομον.

Coagmenta, rimarum & commiſſurarum compagines.

Conniuere, oculos claudere.

Cuticulidonij campi nuſquam gentium ſunt, ſed uox eſt conficta.

Columnari, carpit Plautus Næuium, qui hoc uerbo uſus fuerat, ut eſt apud Feſtum, in dictione, Barbaro.

Clatij, ligna tranſuerſa, quibus feneſtræ muniuntur uel claudũtur. κλεῖτρα, ἀπὸ τοῦ κλείω, quod eſt claudo.

Catalo-

Catalogus, ordo loquendi.

Cauſia, uelamentum capitis, ad arcēdū ſolem & calorem: unde nomen καῦσις, combuſtio.

Culturā uidetur Plautus accipere pro telæ uel panni fruſtulo, quod oculis dolentes ferre ſolent.

Cauſam dicere, eſt in controuerſiam deducere, & aſſenſum non præſtare.

Calator, eſt qui τὰ κᾶλα, id eſt, ligna militibus portat.

Clauator, qui clauam geſtat.

Clope, furare, inuolare. κλέπτης fur.

Caudices, codices, ligna.

Concenturio, coaduno, congrego: ſicut centuriæ congregantur militares.

Cicilendum in Pſeud. fictitia uox eſt, ſicut ſipolindum, meacidem, captidem.

Cecimandrum, Atharatrium, quæ omnia tanquā condimentorum genera confinguntur à coquo, ut ſe aliquid præter alios afferre oſtendat: ut fruſtra laborēt, qui ſignificationem harum uocum quærunt, quæ nuſquam ſint. Nō me latet, poſſe nos cicidendrū legere ab arbuſcula cico Aegyptia, cepolidron à cepis, magidem & capidem, & paropſidē à uaſorum nominibus, fuit enim mos ueterum, ab eis edulia nuncupare. ſeſſamadron à ſeſſama fruge, qua etiā nunc Græcia in dulciarijs utitur, & Græca dictione ἁδρὸν, quæ craſſum ſignificat, athera thriū: quòd athera puls ſit ex olyra, uel zea, uel amylo: thrion, placentæ ſpecies, à folijs fici, quibus circondabatur.

Contechnari, eſt technas & dolos inſtruere.

Curiū, infortuniū, quo quis cura maceſsit. unde & agnus curio. ſunt qui gruciū legāt: ſed lex carminis nō patitur.

Colligere uaſa, eſt fugā parare, & recedere: tractū à militibus, qui receſſuri uaſa colligūt. inde, & cōclamare uaſa.

Colluſtra, lac denſum à partu, quod à paſtoribus emulgetur, ne agnis noceat.

Canales in Pœn. puto corruptum: & legendum, canabes, à canabe lino, cuius Africa fertilis eſt.

Cortina uas eſt ex ære aut plumbo, quo lanæ intingūtur,

uel aqua calefit, uel oleũ continetur, fœdioribus hiſce muneribus aptum, Plinio & M. Catoni. uidetur autem ludis Circenſibus ſolitũ afferri cortinas aqua plenas, ut equi inſpergerẽtur. cuius muneris & Vlpianus meminit. hi qui huiuſmodi miniſteria exercebãt, tametſi iure non notentur, erant tamen uiliſsimi, & emaciati, & peruſti ſole.

Catapultas ſuas appellat Paraſitus in Perſa ferreas compedes, & uerbera quib. affectus erat, dum eſſet, ut ipſe inquit, tribunus uapularis.

Capitones in Perſa eſſe nõ magni capitis, ſed magni uentris & gulæ, quòd omnia capiant.

Colluthea, ſunt qui legant collubia, quæ ſunt tragemata & bellaria, qualia ſunt uuę paſſæ, ut Hieronymus interpretatur. quo ſenſu etiam ſtruthium accipiemus, ut ſit quam uulgò contoniatam uocant.

Colluræ, placentæ ſpecies, ſeu panis conſperſus oleo, Hieronymo.

Colliphia calix, panis caſeo recenti admixtus: unde diminutiuum colliphion Iuuenali Martialiq;.

Columbar, genus uinculi, quo collum adnectitur.

Cenſio iudicium. non habebant (ut arbitror) cenſores in ius uocationem erga abſentes, ſed præſentionẽ in præſentes. unde in Rud. cũ ſeruus dixiſſet, Sed nil cẽſeo: ſubdit adoleſcens, Adſum equidem, ne cenſionem ſemper facias. qui locus uulgò corruptus eſt.

Cenſeri, uidetur eſſe in cenſum redigi, in Trucul. neq; cenſeat, &c. unde cenſiti Iuriſconſultis.

Cercurus, nauis magna Aſiatica, à Cercyra inſula ducto nomine, ſicut Paron à Paro, Naxiurgis à Naxo, & ſi quę ſimiles.

Condictum ſymbolum, idem denunciatum, collationem fieri cauſa prandendi.

Catagelaſimus, deriſibilis, deridiculus.

Catuli ut uolo ludunt. Cum ludunt catuli, ſe humi deijciunt, & alleuatis pedibus inuicem ſe complectuntur, & morſicant: unde cũ Stichus ſederet, conſeruus admonet, ne obſideat, ſed ſe deijciat, more catulorum.

Culina gallinacea, Græcè origanum Heracleotium. herba eſt

ba eſt laudatiſsima in Ponto, de qua Nicand. Dioſc. Plin. & cæteri.

Condalium Feſtus anulum interpretatur: ego condulum malo, quoniam κόνδυλος digitus, uel articuli nodus Græcis dicitur. de quo in Parerg. lib. 3. cap. 8.

Collabris, ludi genus conuiualis Ariſtoph. Athen. & Suidæ. Cortabum per imperitiam potionem à balneis uocari, idẽ Athenæus ſcripſit. Sed hæ ſignificationes nihil ad Plautinũ ſenſum. fortè collabi legendum: ut intelligam⁹ colopes, id eſt, duriſsima in ceruice boum coria, unde collabi, id eſt nerui, & fidium epitomia fiunt. Ariſtoph. interpres ſimpliciter neruos eſſe organi tradit ἐν Βατράχοις. eſt & collabus, placenta quadrangularis ex tritico recenti. Sicyonis uerò collabi laſtauri ſunt, & neq; homines. unde Plauto inferius nomen proprium eſt ſerui furis.

Corriculo tibi eſt exercitor. prouerbialiter dici poteſt in eũ qui tardiſsimus ſit. nam curculio uermiculus tardus eſt. exercitor magiſtrum ſignificat in naui. unde Iuriſconſultis exercitoria actio.

Clurinum pecus. ſunt qui larchinum legant, à bobus epiroticis amplarum narium: uel larinũ, ab his qui in Lariſſa ſunt. eſt enim commune in ruſticos prouerbium Ariſtoph. ὄρνισι μέγας καὶ λάρινος ἐπος.

Credere duas res, in Trucul. dictum eſt, quia omnis ſermo duabus monoſyllabis conſtat, eſt, & non.

Cimelium manus malim legere, quã ciuilium: ut intelligamus Cimelia munera, quæ properè preſtantur. ſignificat κειμήλιον pecuniam reconditam: unde cimeliarchi uox etiam Latinis uſitata. Cœl. Rhod. lib. 4. cap. 9.

Calidum prandium ediſti, num illud frigefactas. prouerbialiter dici poterit in eos, qui admodum tepidè, & ſuſpenſa manu, nec ex corde aliquid faciunt aut loquuntur: metaphora ſumpta ab ijs, qui os contrahunt ut frigidum efflent. Sic & in Rudente: Num gith frigefactas.

Circunductus pallio, id eſt deceptus, ablato ei à fure balneatorio pallio: mos enim Pœnorum eſt, longis tunicis indutos incedere abſq; pallio.

Crenior

Crenior craſſus, in Perſa. fit ex tritico macerato, indito la
cte. M. Catoni granea dicitur cap. 86.

Comitati, in Trinummo, id eſt, comes, & benigni, unde
comiter. (piditate.

Cupes, in Trin. guloſus & uoluptuoſus: à cupedijs, ſiue cu

D

Degluta, mena, ſerapis, ſenicinthium. uidentur hæc uer-
ba Punica & conuiciatoria, nõ autem Latina. Sed quid
ſi legas tegula, lutamẽ, aſſer, lapis, ſemicinctium, exem
plo Ariſtophanis.

Doctior quã in tragœdia comici ſeruauit Plautus τὸ πρέ-
πον ruſtici hominis, tragœdiam à comœdia non di-
ſtinguentis. prouerbialiter poterit dici de imperito, ſe
doctum exiſtimante.

Diphilus poeta comicus, Menandri contemporaneus, Sy
nopę ortus, Spurnę defunctus, ſcripſit fabulas centum.
apud Ariſtophanis interpretem legitur & Theophilus
comicus, cuius ſunt fabulæ, Medicus, Epidaurus, Pan-
cratia, Bœotica, Prętides, Neoptolemꝰ. auctor Suidas.
Demophilũ, cuius Plautus in Aſinaria meminit, adhuc
nõ reperi, ſed non mirum, quũ nouæ comœdiæ Poetas
cõſtet fuiſſe 64. è quibus ſoli ſex celeberrimi, Philemo,
Menander, Diphilus, Philippides, Peſſidippus, Apollo-
dorus. cæterùm ne nomina quidem tenemus.

Detexere pallium, quoniá ex percuſsione filorum textri
na conſtat, uidetur uulgò dici ſolitum, cum aliquẽ uer
berare uolumus, ut ei palliũ nos texturos dicamus, de-
textere. n. idẽ eſt quod texere. Verg. —*Molliq; paras de-
texere iunco.* Sic interpres. at ego apud ueteres legi, texe
re uerbũ eius ſignificationis eſſe, cuius ſpoliare. Verg.
Aen. 10. —*Dum texit Imaona Aleſus, Arcadio infelix
telo dat pectus inermum.* Vbi Seruius Plauti carmẽ allegat:
Ego hunc hominẽ detexã pallio, id eſt, ſpoliabo. ex qui-
bus uerbis arbitror ſic emendari debere Plautina car-
mina: Nullus eſt hoc meticuloſus æquè. quid ſi agam
quod in mentẽ uenit? So. quid in mentem uenit? Mer.
ego hunc hominem detexam pallio.

Delegit, idem ablegit, eiecit.

Delegare,

Delegare, diſpartire & diſcindere. Nonius.
Degam, diminuam & diripiam. Nonius.
Diem dicere, eſt admonere qua die reus adſit, auditurus iudicium condemnatorium.
Donicum, donec.
Diuidere obſcœnam ſignificationem habet.
Differre, eſt diſtrahere, diuulgare, difflare.
Diabathrarij, qui conficiunt diabathra, hoc eſt, ſoleas altiores, uulgò cybras & mullas uocamus. ab aſcenſu nomen. Diabathra, ſcala nautica.
Deponere uino, alienare. Marcellus.
Decollare, fallere apud ueteres eſt: ſumpta metaphora à gerulis, quibus de collo decidũt onera. (Polluci.
Demarchus plebi præſidens, magiſtratus Athenienſium,
Drapetæ, fugitiui. ſunt qui intelligant hoc nomine apud Plautum philoſophos, qui nulli ſectæ ſe addixerunt. quod nos non probamus.
Datatim, uiciſsim.
Diligit, diuidit. Plaut. clipeatus elephantum ubi machæra diligit. Marc. ego malim diſijcit. nec enim Marcelli autoritas omnino ſacroſancta eſt.
Diuidiæ triſtitiæ, & animi moleſtiæ. Fulgentius.
Deuotare, eſt deuouere, & imprecationib. malũ uertere.
Daniſta, qui mutuat ſub fœnore. (tes ſignificant.
Dentifrangibulas, id eſt, pugni: & nucifrangibula, den-
Diſpalaſcere, palàm fieri.
Dierecti, ſceleſti, crucifixi, in diem erecti. Marcellus.
Datas, das, frequentatiuum: unde datatim, & datarium, quod uiciſsim datur.
Delinifica facta, id eſt, blanda, & delinientia amatorem.
Diſpeſsis, diſtentis, & apertis, ſicut ſolent qui miſericordiam implorant: à pãdo paſsum, unde diſpeſſum.
Deruncinare, detruncare, mutilare, à runcina, inſtrumento leuigatorio.
Disbennite, diſtrahite: metaphora à pennis auiũ uolãtiũ.
Danunt, dant.
Dica, accuſatio.
Dies cæca, eſt nox, quo tempore adulterini nummi expenduntur. Pompeius cæcam diem intellexit, quæ nondũ
uenit,

uenit, ſicut oculatam, quæ præſens eſt: metaphorā ab oculatis teſtibus, qui præſentiā rei geſtæ exhibuerunt: ſed mea interpretatio mihi magis arridet.

Dentire, dentes emittere.

Deſignator, curator ludorū ſcenicorum. (Fulgentius.

Diobolaria ſcorta, quæ duobus obolis ſui copiam faciūt.

Demēſum, quod ſingulis calendis domini ſeruis demetiebātur, undè uiuerent. apud Athenienſes diurnū demenſum erat chœnix tritici, hoc eſt, tres & uiginti noſtræ unciȩ. chœnix.n. Athenienſiū, ſeſquiſeſtarius noſter eſt.

E

Eccere, iuſiurandū eſt per Cererem. quandoq; ſimpliciter accipitur, pro ecce.

Exantlare, perpeti, ſuperare. Marc. qui Actij poetæ tragici in Amphitruone, hoc carmen adducit: Pertolerarem uim tantā, cladesq; exantlarem impatibiles. At rectiores Grāmatici noſtro Poetæ attribuerūt, inſeruerūtq; ſatis alieno loco: cū ex uerbis Marcelli appareat, de Tragico poeta eum ſentire, dū eundē auctorē citat in Diomede: quam tragœdiā ab Actio ſcriptā cōſtat, à Plauto uerò minimè. Sed & ratio carminis tetrametri catalectici hanc in ſententiā nos adducit: Fata hæc me premunt, Blepharo, quid eſt? neſcio quid hic mali. Nam ſi carmē illud tragicū hic inſeramus, hoc noſtrū, in hemiſtichia duo reſoluetur, contra Poetæ conſuetudinem. Adde, quòd aduerſus horū interpretū opinionem ſtat omniū antiquorū codicū fides. citatq; Mar. ſæpiſsimè atq; alijs in locis in Amphitruone carmina, quæ tamen apud noſtrū Poetam minimè leguntur, ut in dictione Sanguis.

Exaſciatum, aſcia elaboratum & politum. eſt aſcia inſtrumentum fabri lignarij, quo ſolidantur ſcabra ligna.

Emiſitij, qui emittūtur ſpeculādi cauſa, ut exploratores.

Etina, urbs Apuliæ: unde & etinates populi. Pli. li. 3. ca. 20.

Equulam hanc ego poſſum: ſubaudi, inire, in Ciſtellaria.

Exotica, extranea, peregrina. Hinc Græcia exotica, quæ eſt in Italia.

Elatia, urbs Phocidis Theſſaliæ, Theſprotiæ, Stephano.

Eruum, legumen, quod bobus datur ad ueſcendum.

Epity-

Epityrũ, cõdituræ genus in ciuitatibus Gręcis, à ſuperim poſito, ut aliqui putãt, caſeo nomen habẽs. Ego uerò ab oliuis confractis dici exiſtimẽ. quemadmodum Græci τὰ πιτύρα, frumẽti, ordei, oliuarum. idq; genus corticis confuſos ſeu fures uocant. Heſichius auctor.

εὐσχημόνως, bono habitu & ſtatu.

Exhibere, eſt in iudicio repręſentare. unde in Milite: Exhi beas herum: ut uidelicet cum eo iniuriarum experiar, uel te det pro noxa.

Expuere in calidum prandium, eſt ſufflare.

Emiſſarij, qui emittuntur à principibus ſpeculatores, ut plurimũ lenocinij cauſa. Lãpridio in Heliogabalo. Admiſſarios Colum. uocat, qui prolis cauſa in gregibus habentur.

Expapiltatum, exertum.

εὑρετής, inuentor.

Expeculiatus, ſine peculio.

Excetra, hydria, Lernæa. Cic. in Tuſc. & Seruio.

Eleutheria, ſacra Libertatis deæ, uel potius Iouis Eleutherij.

Eleutherium, liberum.

Epichiſis, uas quo aqua miniſtratur.

Exantlauit exhauſit.

Extabeſcit dies, diminuitur, & ad nihilũ redigitur: tranſlatione ab ijs, qui tabe pereunt.

Exungulare ab unguibus dimittere.

Eiectã uidetur in Trucul. Plautus ſucculã appellare, quã Gręci ἐκβολάδα, id eſt, eiectitiã uocãt, quoniã abortiuo fœta ſit edita. Solebant aũt mulieres nuptæ porcis ſacri ficare, ut auctor eſt M. Varro. Macrob. lib. Satur. 1. Maiæ deæ, quæ eadem & Proſerpina ſit, infantibusq; ſtatim ut nati ſunt, præſtet, porca ſacrificari & ipſe tradit.

Exagoga, eiectio.

Etanium pro colo, quo quid excolatur, Athenęus accipit. Sitanion panis gen⁹ eſt Plinio, Colũ. Iulio Polluci. Gręci fabã frixã appellant, qua uiri fortes utebãtur, nimirũ quòd & is cibus gratiſsimus Herculi fuiſſet: auctore Ariſtophanis interprete. In antiquo codice obſeruaui, in Truculẽto ſcriptũ nõ etanio, nec ſitanio, & nouè: ſed tã nihilo. Quæ lectio mihi magis quã ulla illarũ arridet.

Quid

Quid ſi, & à uia, legamus? ut dicat, militares pueros nõ poſſe more canum, à uia paſci. canes enim erratici, quic quid in uia reperiunt, uorant.

F

Fuat, fuere.

Frigidã ſuffundere, eſt duriter atq; inhumaniter habere: ducta metaphora à balneis frigidis, quæ ingrata ſunt, & horrida. hinc Ariſtopha. *ἐν λουτροῖσιν ἐψυχρολούσαμεν*. id eſt, frigida lauimus. His enim ueteres illi rigidi utebantur, cum delicatiores calida adamarent, quod idem oſtendit *ἐν νεφέλαις*. apud quẽ laudare, ſimpliciter probro afficere & cõuiciari ſignificat in Pluto: *πλῦνον μ' ἐποίησεν ἐν τοσούτοις ἀνδράσιν*. Sed prior interpretatio magis placet: quandoquidem & Plutarchus in Alcibiadis uita, Lacones, duros homines, ijs balneis uſos, & ipſe auctor eſt. Sic Mart. *Ritus ſi placeant tibi Laconũ, Contentus potes arido uapore, Cruda uirgine Martiaq; mergi.* Sed idem Plutarchus in libro, quẽ inſcripſit *ἐρωτικὸν*, in philoſophum inuehitur, qui *κονίεται καὶ ἐνχολοῦται*, id eſt ſordidaret ſe puluere, & frigida ablueretur, ut contemptum rerum humanarum, duritiemq; præ ſe ferret, cum intus eſſet nihil minus quàm philoſophus.

Fullones ſunt, qui ſarcinant ueſtimenta, & renouãt. Iuriſ conſ. inde fullonia ars.

Faba midam uermiculum gignit: quẽ reperientes pueri, multum lętantur. Sed fortè in Aulul. de hilo intelligitur. putant enim hilum eſſe, quod grano fabæ adhæret: unde nihilum deducitur Feſto.

Facere, eſt ſacrificare. ut cum Verg. dixit: *Cum faciam uitula (pro frugibus.——* Sic Plaut. in Sticho: Agnis facere. & in Aulul. Mulſi fidelia facere, & dijs facere legi ruptione, in Rudente.

Ficedulenſes, à ficedulis, uico Romano.

Fundus, fundamentum ſignificat, & auxilium, quo quis innititur. Sunt & populi fundi, quos feudatarios hodie uocant: de quibus Cic. in orat. pro Cor. Balb. inde fundus potior, in quo fortius fundamentum fieri poteſt.

Frigere, unde frictum fit, deriuatiuũ, ſignificat frigurire, quod

quod eſt tinnire & ſubſilire. Marcellus. Sed Feſtus à fringilla aue trahi putat, quæ frigore conſtat. dicimus & fringutire. Quod Fulgẽtius ſubtiliter adgarire interpretatur.

Follitum, id eſt eum qui habet follẽ ſeu ſacculũ pecuniarum. in Epid. Si modo corrupta nõ eſt lectio.

Flegmina, cum ex labore uiæ ſanguis defluit circa talum, Feſto.

Floccus, res nihili, nimirum lana à uellere diuiſa inutiliter euolans. Inde floccifacere, & defloccati ſenes.

Fortis, pulcher.

Ferritribates, cõterentes ferrũ. τρίβειν enim terere eſt.

Fabulam confabulare, eſt ad inferos trahere. Mortui enim fabulæ ſunt, quoniã de eis nihil apud nos ſupereſt, niſi quod quis fari poſsit. Perſ. manes & fabula fies. & apud Cic. fabulã ætatis peragere. uidetur dictũ metaphoricôs ab actionib⁹ fabularũ ſcenicarum. Vnde Auguſtus moriens, apud Tranquillum, interrogaſſe amicos traditur, ecquid mimum uitæ commodè tranſegiſſet.

Frugi utilem ſignificat. Sed mulieres frugi amatores appellant qui ſibi impendant plurima, uel in uenerea lucta præcellunt.

Ferruminare, eſt cõiungere & cõglutinare. Plini. quoque hoc uerbo utitur lib. 17. & Paul. Iuriſc. Ferruminatio inquit per eandem materiam facit confuſionem, plumbatura non idẽ efficit. inde ferrumentare uerbum, id eſt, claudere. in Perſa.

Forcilles, diſtorqueas, à furcis ligneis: ego mallem flocilles, id eſt, paruipendas, floccifacias.

Feſtuca, modus manumiſsionis, per feſtucam fiebat Perſio & Plutarcho in libello de his qui ſerò puniuntur, feſtucam iniici corpori eorũ qui manu mittebantur à prætore ſolitum tradit: forteq́; is eſt modus quem per uindictam uocamus.

Fluctus fullonius, fœtida aqua, qualis ea qua teſtas ſuas fullones implent, nimirum lotio commixta.

Farfarus fluuius quẽ Fabarim uocãt in Sabinis, iuxta

quem chameleuce, & tuſsilago, & populago naſcitur, quæ inde farfario dicitur: quæ flores uerè candidos profert, quos unà cũ caule ſtatim amittit. Dioſco. lib. 3. Sunt qui folia farfaris populi arboris intelligunt. ſed prior interpretatio eruditior eſt.

Facula, nutrimenta Marcello.

Fabulam faba eſt M. Catoni.

Furi ſic datur: prouerbialiter, cũ id damus ei, cui ſi nõ daremus, ipſe ultrò acciperet, uel furtim.

Ferentarius amicus, celer & expeditus, quales ſunt ferentarij milites.

Fuit penè, id eſt, ferè extincta: quòd mortui amplius non ſint, ſed fuerint.

Fungum, ſtupidum, à fragilitate fungi. qui quòd pileo munitus eſt, hymbres cõtẽnere dicitur in Sticho.

G

Gralatores, magnos paſſus conficientes, & qui gralis eunt. ſunt gralæ, perticæ, quibus innituntur.

Grex, pro hiſtrionum conſortio accipitur.

Gerræ, nugæ. unde congerrones, qui ſimul nugãtur.

Gymnaſium habere, eſt habere pro loco, in quo quis ſe exercet.

Gerionaceum genus eſt furum in Aulul. hinc in Trucul. geriones appellantur damnigeruli fures.

Glandium in ſue calloſa eſt caro, longè ſuauior alia.

Graphicus, elegans, induſtrius. graphis, ars pingendi & ſcribendi.

Ginecæum, mulieris aula, in qua ſolæ mulieres habitant, & nent, & texunt.

Glaucomata, oculorum ſuffuſiones, quũ naturalis humor in glaucum colorem commutatur, & uiſus impeditur. Galenus in Iſagoge.

Gradus militarios aliqui intelligunt magnos in Pſeudo. quod non placet: cum ex Vegetio appareat, non ultra 20. milia paſſuum quinq; horis æſtiuis milites facere cogendos. quapropter potius lego miliarios, per hyperbolen.

Gandea ciſtella, id eſt, uiminea, ut quidã interpretatur.

tur. ego maluiſſem legere, clauſam: niſi Feſtus nos admoneret, caudeas ciſtellas dici ex iuncis factas, ad ſimilitudionem equinæ caudæ.

Gaulus, uaſculum in formam Cymbij.

Gith frigefactare, eſt tepidè quid agere, & parcè. qui enim halitu quid frigefactant, ora contrahunt, & modicum anhelitum emittunt. eſt autem gith, frutex, quem Latini nigellam uocant: guſtu ſimilis piperi: imò os mordicăs, & accendens. Simile eſt in Milite: Calidum prandium comedisti, non illud frigefactas.

Grypus, ratis nomen Oppiano, lib. 3. Halieuticôn. unde piſcator Grypus in Rudĕt. & in epigrămate Sap(phus.

Gloſſa, lingua.

H

Hoſtimentum, æqualitas. unde hoſtes dicti, ꝙ æquali inuicém iure exiſtant. Quapropter prædones, hoſtes non ſunt appellandi: nec cũ eis ius eſt poſtliminij. Hinc & hoſtire uerbũ, pro æqualia facere. Veteres quoq; eadẽ ratione hoſtem pro peregrino accipiebant: ut eſt apud Macrob. Quo ſenſu legitur in Curculione.

Habet, habitat: ut eſt apud Cic. in Roſciana.

Harpagare, rapere eſt: unde harpax Græcis raptor.

Horreum, ſalſaměti ſpecies, in quo macra pinguibus præferuntur, Athenæo: de quo Plin. lib. 32. cap. 7.

Halapanta, omnia mentientem ſignificat. halia enim Græci τὴν πλάνην, id eſt, fallaciam dicunt. Feſtus. inde halagoras, uidetur eum ſignificare, qui in foro uel concione mentitur.

Herculeis prognatæ ſortes. De Heraclidis ſentit, qui in Meſania regnarunt. Nam cum inter Ariſtomedi liberos & Creſphõtem ambigeretur de regno, Creſphontes uicit ſortibus, quas igne durauerat, cùm aduerſariorum ſole tantummodo areſactæ eſſent, & in hydriam proiectæ delicuiſſent. Auctor Pauſanias in Meſſenaicis. Inde natum eſt prouerbium,

δραπέτης κλῆρος fugitiua ſors apud Suidã. Cuius & Sophocles meminit. dicitur aũt de re per dolum facta. Arbitror huius argumenti poetã Enniũ fabulam dediſſe. Reperio à Grammaticis eum citari in (Cteſiphonte.

Hemera, dies, à Græco ἡμέρα.

Hecale anus pauper quæ hoſpitio Theſeũ recepit, de qua poema fecit Callimachus nõ ſatis laudatum.

Hippodromo decurſorio, in quo exercentur equi.

Hornum eius anni, horna meſsis pro maximo emolumento. hinc in Moſtellaria lena optans ut ex forma puellę maxima utilitas caperetur, euentus inquit uelut in horreo horna meſsis magnificat.

Horia, nauicula piſcatoria.

Homeronida poetilla pro Homeri poemate uidetur à milite dictum imperito & agreſti. quid ſi legas homericon epos, ut ilias de illis memorari poteſt? eſt enim epos carmen heroicũ Horatio & Martiali.

Hæreditas ſine ſacris, ingẽs bonum repentè oblatum, qualis eſt hæreditas cum ex teſtamẽto ad extraneũ defertur. nã quæ ab inteſtato agnatis non æquè improuiſa & ferè debita eſt: qui enim eiuſdẽ ſunt agnationis cõmunione ſacrorũ iũgũtur, ut Plin. Cæcili. Panagyr. Traiani auctor eſt. hinc ſũt gẽtilitia ſacra.

I

Incita, egeſtas, miſeria Marcello.

Iugula, ſignum eſt cœleſte quod Oriòn dicitur.

Imagines maiorũ in nobiliũ funerib. geſtabãtur, quas ſtemmata Iuuenalis appellat. cuius cõſuetudinis autor eſt Cor. Taci. li. 3. inde Soſia geſtari imaginẽ ſuã à Mercurio cernẽs ait, ſibi uiuo fieri qđ poſt mortẽ nũquã fiet. nec enim eius imago unquã in ſtẽmatis collocabitur, cum ignobilis ſit & ſeruus.

Interpolare, renouare eſt, interpoles renouatę & adulteratæ.

Impluuiũ, ſubdiale, ĩ quo impluit, cortẽ uulgo dicimꝰ.

In mundo eſſe, id eſt, in promptu & paratum eſſe.

Iacula, rete eſt quo in piſcina & modicis fontibꝰ piſca

ri licet alioquin ubi ꝓfundę ſunt aquę, inutile. quod (ex Truculẽto cõſtat.

Iudicatam, condemnatam.

Inaniæ, inanitates.

Ie, Ionis ueteres dixerunt, quæ poſtea Iſis fuit, ſicut Dido Didonis, non Didus.

Inuocat, expoſcit ſibi propicium, item, non uocat.

Ictis muſtellæ ſpecies. Plin. li. 29. cap. 3. eadẽ & uiuerra dicitur, qua capiuntur lepores & cuniculi, ut idem eſt auctor lib. 8. ca. 55. in Capti. dũ ſenex paraſito inquit: Modo uenare leporẽ, nũc ictim tenes. eũ admonet ut ſi lautiorẽ cœnam uult, afferat de ſuo. Theod. Gaza, quæ ab Ariſto. γαλῆ dicitur, nũc Viuerrã, nũc Muſtellã ruſticã trãsfert, ſũt q uulgo furetrã uocẽt.

Incommiciare accuſare eſt, quod eius cauſa in cõmicium eatur, uel conuiciari per trãslationẽ literarũ.

Inteſtatũ arripi, id eſt, nõ ſeruata iuris ſolennitate, nec adhibitis geſtibꝰ & tacta aure, de quo Seruius et Acron & alij. quãdoq; in obſcœnũ ſenſum accipitur, ſicut illud, magnis teſtibus iſta res agetur.

In ſortito, id eſt ambiguo, quoniam ſortibus in ambiguis utimur.

Inuitare in Caſi. nouè poſitum pro priuare uita, ſecundum quoſdam

Inuoluolus, uermis in pampini folio uel uitis, qui & conuoluolus dicitur M. Catoni.

Incepſo, incepero.

Impluuiata ueſtis, patens & ampla colore pluuiæ ſeu fumati ſtillicidij, uulgo Mutinenſis. Marcellus.

Inaures, ornamenta ſunt aurium Iuriſconſultis.

Inhibere, imperium habere, exercere.

Inconciliare, diſsipare, ſeparare, diuellere, quandoq; uendere, antiquis quoq; decipere, ut Feſtus ſcribit.

Imbrex, canalis unde imber defluit.

Inſanum, aduerbialiter pro ualde.

Illutibile, quod elui lauaríue nequit.

Iunix iuuenca.

Intendere digitum, contemnere eſt, ab ijs ducto ſermone qui medium digitum porrigunt.

Illices,ſuaſores, ab illiciendo, id eſt,alliciendo.

Incubitatus,ſtupratus.

Iuncea potione onerare gulã uidetur eſſe fune ſparteo ſuppendere. ego tamen malim uiticea. de quo infrà.

Ionici mollicia infames,unde ſaltatorũ nomen. Horatius:Motus doceri gaudet Ionicos.

Inſuaſum colorẽ uocant fumeũ ſimilẽ luto. Marcellus.

Inſanè,uehementer:unde ad inſaniam fauere,id eſt,uehementer.Suet.in Calig.

L

Laruati,laruarum occurſu uexati.

Lubentia Veneris epitheton, à iucunditate alacritateq́; mentis.

Longã literã facere,eſt ſuſpendere, quia eius nota qua antiqui utebantur, non multum à cruce differt. unde literatus,furca dignus,in Caſina.

Lex Barbarica.Alc.lib.6.Parerg.cap.6.

Lex Talaria.Alc.ibidem.

Ludij,hiſtriones ſunt, qui depiles & glabri erant, & mollitie inſignes, & à ſaltatione cinædi dicti. ex Etruſcis primò acceſiti ſunt: unde nomen. unde & ludij, quoniam à Lydia habẽt illi originem.hinc & ludioſum cor,id eſt,ſubſultorium.

Lauerna,eſt dea furum.

Limbus, muliebre ueſtimentum, quod purpuram in imo habet.inde artifices limbularij.

Laterna Punica,id eſt eburnea:quia apud Pœnos ſunt elephanti.

Lacones dicuntur paraſiti, uel à paupertate & ſorditate, quo nomine Lacedæmonios Diogenes notauit: uel à patientia, quæ eorum quondam fuit:uel, quod magis arbitror, à Laconibus canibus, quòd adulatione, morſu, dentium oſtenſione, eos imitentur.

Latomiæ,lapidicinæ

Lucere cereum,lucere facem, eſt præferre lucis cauſa.

Libella, uidetur Athenis fauore libertatis conſtitutũ, ut

ut ſeruo liceret libella auri domino tradita, libertatem conſequi, ut ex Caſina apparet. fingitur autem ea fabula Athenis acta, quod ex eo carmine accipitur: Quod haud Atticam addecet diſciplinam, &c. & in Prologo: Ingenua Athenienſis.

Lingulaca, piſcis nomen: dicitur & lingula.

Linus cum cytharam Herculem doceret, & tardi ingenij eum uerberaret, ab ipſo eſt peremptus, ut ſcribit Diodorus, libro 4. bibliothecæ.

Lippi oculi, in prouerbium eorum ſeruorum uenerunt, quibus utimur non ut uolumus, ſed ut poſſumus, quibusq; carere non poſſumus. Sic in Bacch. itemq; in Perſa accipitur.

Lineam mittere, eſt pedetentim & conſultò progredi. metaphora à pictoribus, qui deliniant prius, & umbras quaſdam deſignant, quàm pingant.

Leoninum cauum appellat Menæchmus uxoris ſuæ domum, ab odore & ſæuitia eius.

Logi, ſermones, & quandoq; nugæ.

Licere, eſt precium in auctionibus facere.

Lationes milites, apparitores, qui principis latus cingunt, quaſi laterones.

Lutum, iniurioſè in ſordidum dicitur. unde ludere luto, eſt cum ſordido colludere.

Lolio uictitare dicuntur, qui luſcioſi ſunt: quoniam lolium oculis nocet.

Limi oculi ſunt, qui in tranſuerſum reſpiciunt. hinc limare, flectere, obliquare, coniungere.

Legem quinam uicenariam uidetur Plautus appellaſe, quæ prohibebat aliquid adoleſcenti mutuò dari ante annum uigeſimumquintum. Nam hodie quoq; illis ex edicto reſtitutione in integrum ſuccurritur. Vetuſtiſsima autem huius argumenti fuit lex Latoria, quam quidam Latorius tulit, ne quis adoleſcentes in contractibus deciperet. de qua in Parerg. lib. 6. cap. 16.

Lemniſci, faſciolæ ex corollis dependentes. Plinius lib. 21.

Laterculum in Pœnulo puto corruptũ, & legẽdum laſerculum. Nam quum amator dixiſſet amicam loqui mulſam, ſubdit ſeruus loqui laſer, ſeſamã, papauer erraticum, fractas nuces: quæ omnia uidentur obſonia, quibus ſapidior fit mulſa. Seſamã & papauer erraticum cõmendari in dulciarijs, Dioſcoridis & Plinij autoritate conſtat.

Lymphatici, furentes: unde nummi Lymphatici, qui ſaltare nituntur ex crumena. inde Lymphaticum, furor exiliendi.

Liræ, nugæ. λήρω λήρης, Ariſtophani.

Lapodes, conchæ marinæ.

Lauinia, in Trucul. uidetur nomẽ mulierũ, quę mũdũ muliebrẽ locarent, accepto in die ſingulos precio.

Leſſus, Lugubris eiulatio. Verbũ 12. Tabularũ, de quo magna fuit controuerſia inter ueteres ſcriptores. Cic. De legib. lib. 1.

Lactibus laſsis, id eſt, inteſtinis. Cælius lib. 3. ca. 24.

M

Malè, diſpendioſe, & maximo precio donatio. Plau. in Amphitr.

Maſsicus, mons Campaniæ, celebris uino phalerno.

Muriatica, quæ in muriæ liquamine diu fuerunt.

Mammeata, mammoſa, à magnitudine mammarum.

Megaribus. in Aphrica Megaſa urbẽ Libyæ eſſe, auctor eſt Stephanus: aitq;, inde oratores & frumentarios plures proficiſci: qua ratione non Megaribus, ſed Megaſibus ſcribendum eſſet.

Mergi, meſſorij inſtrumenti genus: à quo mergites faſciculi.

Magalia, furfur eſt, & manuum purgamentum Euſthathio in 4. Iliados. ſed Plauto micdalia uidetur uox Punica eſſe, & contumelioſa.

Morula nigra, à moris maturis.

Maſtrucæ, ueſtis pellicea, qua Sardi utuntur. Cicer. & Quintiana.

Moroloquus, ſtultiloquus.

Marinus paſſer, ſtruthiocamelus Feſto.

Morticinus,

Morticinus,exanguis,unde morticina caro.

Manduca, effigies ridicula magnis malis,& uaſtũ dentibus ſonitum faciens.

Magudaris, in Cyrenaica abundat, radix ſilphij Dioſcoridi,uel caulis,qui ſupernaſcitur, unde primum ſuccus erumpit Galeno. is ſuccus laſerpicium dicitur,ſicut ſirpe ipſum uirgultum Solino.

Mitrotrocus,pauca comedens.

Medioxumi.i.minores dij,Cæl.Rhodig.lib.2.cap.3.

Monotrofo,ſolitarium ad nos ſolos pertinens.

Manubriarius,amicus facilis,promptus, quo quis ceu manubrio utitur.

Mortuo uerba facere,eſt fruſtra agere, & non reſponſurum nihilq́; prouiſurum alloqui, translatum ab hæredibus, qui allatum cadauer defuncti coram amicis loquuntur,de morte conquerentes,quod irridet Lucianus. Prouerbij præter Plautum meminit & Terentius in Phormione.

Muræna piſcis, cui oſſa excluduntur ab his qui eam condiunt.

Mutire,eſt eniti ad eloquendum,ſed non loqui tamẽ: quod propter timorem fit: id etiã muſſare dicitur. fit à Græca uoce μὺ, quæ nota eſt formidantis: Ariſtophanes in Equitibus.

Mola ſalſa,far toſtum, & ſale conſperſum.

Myropolia,tabernæ unguentariȩ.hinc & Myrobrecharij. βρέχειν inſpergere eſt.

Mortualia,nugæ & fabulæ,quales de mortuis narrari à mulierculis ſolent.

Malacum pallium, id eſt, molle. unde Græcis malua μαλάχη dicitur, quòd uentrem molliat,quãuis ueteres μολοχὴν dicerent, ut apud Athenæum refert Vlpianus in ſecundo Dipnoſophiſtarum libro.hinc molochinarij eius coloris infectores.

Miles Plauto accipitur pro exactore tributorum, quæ quis ex cenſu ſuo pendet publico.

Mantellum tegmen inuolucrum à genere ueſtis qua

manus teguntur.

Mordicibus, mordicus, ſiue morſibus.

Μὰ τὸν ἀπόλλω, non per Apollinem.

Manticulari, doloſè agere: ab ijs qui mãticulas tractãt ut furentur.

Mancupio dare, eſt in manum & poteſtatem transferre, & euictionis cauſa repromittere: fiebat autẽ huiuſmodi uenditio certa ſolennitate, cuius in Topicis Boethius meminit.

Mulgat, decipiat, Marcello.

Mœchiſſat, adulterat.

Maſsilienſes mores, id eſt, molles & effœminati ſi Athenæo credimus, & Suidæ: unde prouerbium, nauiges Maſsiliam: itemq́ue, è Maſsilia uenisti. uerùm cùm Maſsilienſes apud Strabonem, Valerium Max. aliosq́ue ſummè laudentur, ſunt qui de Maſsilijs Aphris intelligant. Sed non uidetur mihi ueteres uſque eos Maſsilienſes appellaſſe: quare ſciendum Maſſilienſes à Phocea Lacedæmoniorum colonia originem duxiſſe: qui cum ex cœli regionisq; natura aliquantum de Gallorum mollitie traxiſſent, ut apud Tit. Liu. lib. 38. Cn. Manlius aſſeruit, Lacedæmonij eos ſibi cõparatos pro mollibus habuerunt, & hinc prouerbij origo.

Medioxumi dij in Ciſtel. qui non ſunt ex cœleſtis, ſed mediæ poteſtatis, qui & ſemones & patellarij, qui & patella colerentur, non autem iuſto ſacrificio cæſis uictimis.

Madulſa, ebrietas: item adiectiuum, uino madidus.

Mellina, à melle deducitur.

Melinus color, ab inſula Melo, qui color albogiluus appellatur Seruio.

Marita, id eſt, maritalis & matrimonij cauſa tradita. hinc pecunia marita, in Epid.

Mendicula, ueſtis pauperis & mendici.

Murcidus, iners, languidus: murci qui pollicem ſibi præcidunt ne deligantur in milites, Ammiano Marcellino.

Mulier hæres malleo: prouerbium in exercentem artem ſibi minimè conuenientē. hærere enim malleo officium uirile eſt: quòd ſi manubrium malum & fractum ſit, quid illa muliere ineptius aut ſtultius, quæ eum attollere aut tractare uelit?

Malaciſſare, mollire, molle reddere.

Megabizi, ſacerdotes Dianæ in Epheſo.

Mantare, manere.

Matula, uas in quo immingunt homines.

Merenda, cibus meridianus.

Maſtigia, uerbero. maſtix flagrum eſt, ſiue flagellum.

Muſicè, eleganter, delicatè. Plautus uidetur intelligere frugaliter & lautè.

Mendiciter, pro mendicè, antiquè poſitum.

More maiorum cognoſcere in Merc. eſt facto prius ab aliquo iudicio, de re capitali cognoſcere: aliter enim cognitio non decernebatur, nec inter eos quis recipiebatur, Iuriſcon. auctoribus, Alc. Parerg. li. 4. ca. 21.

Munis, munificus: unde immunis.

Mures Aphricani: murum uaria ſunt genera, ex quib. pulcherrimi pontici quos Armelinos uulgò uocāt: alpini quos Marmotas dicūt: nilotici quos Plinius quandoq; Aegyptios, Plautus uidetur Africanos appellaſſe, his durus eſt pilus ceu herinaceis, & bipedes ambulant ſicut alpini.

Mandux, ridicula ſimul & formidoloſa effigies ob uaſtitatem, in pompa circumducta. Feſto Pomp.

N

Nannium, in Amph. nomen eſt fabulæ, ſic à meretrice appellatæ, quæ αἴξ, id eſt, capra dicebatur: quoniam adoleſcentem nomine θάλλον, id eſt, germen exederet, ut Athenæus ſcribit. eadem & Proſcenis cognomen geſsit. Quoniam ut Antiphanes Iunior ſcriptū reliquit, extrinſecus formoſiſsima uideretur, inſtar proſceniorū, quę amotis ornamentis non æquè placent. Sed quid ſi in carmine Plautino, Næuij proſcenium legamus? ut autoritate eius quem conſtat antiquiorem fuiſſe, ſe tueatur.

Numero,

Numero, id eſt nunc uerè. Marcellus.
Numella uinculum ligneum quo quadrupedes noxij uinciuntur, Græcis *κύφων* dicitur.
Nictare eſt oculorum niſu ſignum facere.
Nautea, aqua ex naui de ſentina: aliqui eſſe herbam fœtidam arbitrantur.
Nugiuendi, artifices qui nugas. i. offucias & quiſquilias quaſdam mulieribus uendunt.
Nudus inſepultus in Amp. Virg. *Nudus in ignota Palinure iacebis arena.*
Nictua porta in Caſ. Athenis ubi cadauera noctu efferebãtur: erat & Charonia per quam damnati ad ſupplicium ducebantur: erant & quæ Nymphades dicebantur: itemq; pyratica & ſacra, & omnibus potentior. Diphilus.
Nardinum uinũ in Rud. nardo Gallica uel Syriaca cõditum, cuius rationem explicat Dioſcorides libro 5. cap. 40.
Nobilis, cognitus, deducitur à noſco, quaſi noſcibilis.
Neruum, brachialem complexum uocat in Pœnulo.
Naſiterna, riuus aquarius. Fulgentius.
Nerienem uxorẽ Martis Martianus Capella. Gel. libr. 13. cap. 21.
Nundinalis coquus in Aulul. id eſt, ille qui in nouum diem ſolet ire coctum. i. uulgaris & uilis, qui nõ niſi nundinis conducitur cum plebs ex agris conuenit. Bud. l. ſi quis uenditor. de ædilib. edict.

O

Oſa ſum, id eſt, odio habeo, unde oſor qui odio habet.
Occare, frangere, unde occillo. Eſt autem uerbum agriculturæ, cum glebas ruſtici frangunt.
Oenopolium, taberna in qua uenditur uinum.
Optio, adiutor eſt militis ægri qui & accenſus dicitur, is ab eo eligebatur quem adiuuabat: unde nomẽ ſumpſit: optare enim eligere eſt.
Obſcænare eſt obſcænum nomen adferre.
Obſonare, eſt obſonium emere: unde obſonatores ſerui. quan-

ui. Quandoque deducitur à uerbo ſono, ſed ſyllaba differentiam oſtendit.

Ophthalmia oculata piſcis.

Obleſis, id eſt, obledas.

Ordeiæ piſces ſunt Plinio. Sed Plautus ludit in nomine, & ſubijcit, imò triticeas, in Caſina.

Obſtupat aquulam, id eſt, iter claudit ne aqua ulterius progredi poſsit. Prouerbium in eos qui aliquid obijciunt ne quid fiat uel ſciatur. Ducta metaphora à nautis, qui nauium fiſſuras ſtuppa implent.

Oculiſsimum, cariſsimum. Feſt. citat locum ex Curc.

Offa penita, à pene. i. cauda porcina, Feſto.

Obex, labor, appoſitio.

Occentare, canere.

Oliuum ab oleo diſtat, quòd illud ex oliua ſolùm, hoc ex alijs quoque liquitur, ut amigdala nardo, lini ſemine & ſimilibus.

Ω Ζεῦ, O Iuppiter. exclamatio.

Οἴχεται, abijt, exceſsit, non extat, Non quidem herclè apparet argentum, οἴχεται. Prouerbiale carmen in prodigos, quo utitur & Cicero in orat. aduerſus Piſonem.

Obnoxius, obligatus, addictus: metaphora ab ijs qui ob noxiam in poteſtatem alicuius traduntur.

Ocillet, in Amphitr. lege oſcillet, ab oſcillis. i. ſigillis.

P

Præſente nobis, id eſt, præſentibus, ut interpretatur Marcellus hoc carmine in Amphitr. Nec nobis præſente alius quiſquam mihi ſeruu'ſt. Sic enim legendum. At Pius & Pilades, ſequens apud Marc. carmẽ, quod Afranij poetæ eſt, exiſtimantes Plautinum, codici ſuo inſeruerunt: & pro Afranio Aphricanũ: pro auctione auctionem ſcripſerunt, ubi operepręcium non erat moroſè diligentes.

Proſcenium, locus ante ſcenam porrectus in quo pulpitum erat, ludicris exercendis accommodatũ. Virgil. *Veteres ineunt proſcenia ludi*, l. de pollicitationibus. ff. de

ff.de polli.Scena atem ἀπὸ τῆς σκιᾶς, id eſt, ab umbra dicta eſt.

Petaſus, galericulus, quo nos à ſole tuemur.

Promptuaria cella, penus eſt, unde eſculenta depromuntur. riſus cauſa Plautus ſic carcerem appellauit.

Peſſuli, Græca uox eſt, quæ in medicina pectitam lanam ſignificat, uel quodcunque teres digiti humani forma, quo medicamenta ſuſtinentur, præcipuè quæ naturalibus fœminarum admouentur: ut autor eſt Paulus Aegineta. Celſus primitiua forma peſſos uocat: hinc ferreum uectem, quo hoſtia clauduntur, & qui in ſimilitudinem digiti eſt, peſſulum uocant. Sic etiam Terentius in Eunucho: Peſſulum hoſtio obdidit: ambiguè loquens, & hoſtium folliculi puellaris, uirilemq́ue peſſulum tacitè deſignans.

Portitor, publicanus, qui uectigal in porta, rerum naui inuectarum exigit: id & portitorium dicitur.

Publicum, id eſt, uectigal, itemq́ue quicquid po. Rom. eſt. Sanè quū in agrū publicū pop. Rom. coloni mittebantur, Triumuiri diuiſores agri in ſingulas iugerum diuiſiones conſtituebant, quicquid quiſquis colonus publicè uectigalis pendere deberet. Quapropter in Truc. pueri publicani dicuntur, qui ob diuiſiones ab amatoribus ſtipem exigunt. Publici quoque uocantur publicani, qui publica curant.

Portiſculus, uidetur eſſe pertica, ſeu malleus, ſeu quodlibet aliud ſignum, unde remiges cognoſcunt, quando laborandum, & quando quieſcendum ſit. Sunt qui ipſum hortatorem portiſculum uocent, quòd in portu det claſsi ſignum,

Putilius, paruulum ſignificat, unde & puſio.

Patroni ſunt libertis, ſicut domini ſeruis: qui ſemper ſeruiuit, nunquam habuit patronum.

Polypus, piſcis: de quo Ouid. *Vtq; ſub æquoribus depreſſum polypus hoſtem Continet, ex omni demiſsis parte flagellis.*

Pipulo, id eſt conijcio.

Peniſsimè, pro penitiſsimè: dicimus enim penitus, ta-

tum,

tum, adiectiuorum more.

Patagium, chlamys eſt, quæ ſupra precioſas ueſtes induebatur: inde patagiarij.

Propolæ, reuenditores, qui anticipant emere; ut carius uendant, & annonam flagellant. Iureconſul.

Phylaciſtæ, cuſtodes, qui in atrio expectabant egredientem dominum, ut aliquid peterent.

Pici pro griphibus accipiũtur in Aulu. in quo ſeruauit Plautus τὸ πρέπον ſerui in naturali hiſtoria errãtis: perdui continuè totum diem corui, quoniam quod comedunt quotidie & perdui habent, non indigẽt, utut illis aliquid detur.

Prolatæ res, longius adductæ, & rus deuectæ, in Captiuis.

Poſtilla, aduerbium pro poſtea, poſtidea loci, eodem Feſto.

Pannices, à Panna urbe Samnitum.

Phanon, manifeſtum. Græca uox.

Petro, aries, quia in petris uerſatur.

Petalium foliatum, unguentum ſic dictum, quod ex nardi folio fiat.

Propudium, infamis, à quo porrò ſit pudor.

Perdiã, Bibeſiã, & quæ ſequuntur nomina regionum finxit Plautus, ridiculi cauſa: ut deridendi ſint, qui eas apud Strabonem uel Stephánum quærunt.

Poſtilena, eſt lignum incuruum, ſub cauda iumenti.

Pedes, pediculi: hi & in uerendis ſordidorum ſunt: unde in Caſina, conturbare pedes uillico, in obſcœnum ſenſum accipitur. pedes uerò pueros ſeruosque ſignificat Græcis. in Menæchmis, nauales pedes intelliguntur remiges, quòd id hominum genus pediculis ſcateant, ſeu quòd tanquam pedibus nauem ducant.

Puluinarium accipitur pro loco tuto: ſed propriè is eſt, in quem naues ſubducũtur, ne marceſcãt, lignis tanquam puluinis ſuppoſitis.

Palæſtrio, ſerui nomen, rectius fortè paleutrio, unde

παλσύτριαι quaſi allectatrices. Ariſtot.lib.de Animalium hiſtoria nono. Turtures & columbæ quæ excæcatæ aluntur, ut alias alliciant & aucupes ad congeneres capiendas adiuuent, quod & in coturnicibus fieri conſueuit, anatibusq́;.

Patritè aduerbium, id eſt, more patriæ, ſeu patris.

Pragmata, negotia, μοὶ πϱέχεις, mihi exhibes, uox frequens Ariſtophani.

Piacularis uictima eſt quæ ad expiandum aliquod facinus mactatur: quæ ſi non litabat, alia cædebatur, quam Succedaneam uocabant.

Plumatile, aut clauatum, aut ex plumis à Phrigione confectum.

Paraſiticiſulmi, qui tergo adhæreant, ceu palpatores.

Parenticidam, nouo uerbo dixit Plautus herum, qui parentes, id eſt obediẽtes, ſeu ſeruos cędat & necet.

Pappare, comedere, tranſlatio ab infantium uoce cum petunt cibum.

Potitum, apparet Plauti tempore Romæ ſtultum quẽdam fuiſſe ex familia, cui Herculis ſacra credebant, ut T. Liuius in primo ſcribit. Feſtus puritum pro ſtulto Plautum dixiſſe autor eſt, ſed corruptum exemplar arbitror.

Phœnix, Amyntoris filius, Achillis præceptor.

Pancratiè, more Pancratiſtarum. hi ſunt luctatores robuſti & ualidi.

Pérgræcari, genialem uitam agere. uidetur tractum à Græcis qui in Italia erant, quales Sybaritæ, Thuri, Tarentini, quos tanquam molles Romani notabãt. hinc Italica mẽſa in epiſtolis Platonis pro luxurioſa. cæteri enim indigenæ Itali certatim apud autores frugalitatis palmam tulere. inde in Caſina Barbaricus riſus in menſis.

Pollucibiliter, lautè.

Pilum inijcere, aggredi, metaphora à militibus concurrentibus.

Polimenta, teſticuli porcini Feſto.

Peniculus

Peniculus,nomen paraſiti:itē ſpongiæ genus,qua tergitur menſa:itemq́; diminutiuum à pene. eſt & inuolucre ſetarum,quo calx alba teſtorijs inducitur.

Porci ſacres,ſinceri ſunt,à decimo die poſtquam nati ſunt.nam tunc incipiunt eſſe idonei ſacrificijs.

Pythia iterũ: ſubaudi,uicit. de his uidēdus eſt Pindar.

Phrygiones polymitares,qui acu ueſtes pingunt. ijdē & barbarici dicuntur, quoniam ex Phrygia primò uenêre.

Pandiculans,toto corpore ſe extendēs,& pandũ ſe faciens.

Parthaon,antiquiſsimus rex Atholiæ,pater Oenei.

Pugnacula,locus unde hoſtes fugant,quibus obijciũtur propugnacula.

Patrica, in Milite. Sunt qui legant atricam, ab atrico. Ego patritam malim.eſt enim ancilla, à patre filiæ data:ut auita,quæ ab auo obuenit.

Patrita,M.Varro,idē hic omnia erat,ſacerdos, geſtor.

Patritus,denique idem ſenatus.

Proletarij,ſunt plebeij &uiles,qui nulla munera reip. præſtant,præterquam augendæ prolis.

Primita,id eſt,prima & precellens.Sic enim ueteres dixerunt.

Pithecium,ſimiola.

Protelare,telo impetere uel percutere Marcello. eſt etiam proferre,differre.

Palpum,eſt plauſus manus ſeu popyſma, quo equis blandimur:unde per translationem pro adulatione capitur.

Piſtus,uillici nomen à fidelitate. nam πίςις fides eſt.

Panſum,incuruum:à uerbo pandor, uel potius panſum,à pedum enormitate.

Pila fouere ſenectutē,in Sticho,de balneo dicitur,quoniam pilis iniectis excitabatur calor igneus ſtatuis.

Quid nunc ſtrata foro referam tabulata crepantu
Auditura pilas,ubi languidus ignis inerrat
Aedibus,& tenuem uoluunt hypocauſta uaporem.

hinc Seneca in epiſtolis ad Luciliũ: Si uerò pilicrepus ſuperuenit, & numerare cœpit pilas,actum eſt.

Pantices,pingue uentris,& omaſum.

Pergula, taberna edita, in qua artifices opera ſua loca bant. inde metaphoricôs, pro lupanari, in quod mi natur ſe leno, Phœnicium phœnicio corio, id eſt, iu benti cute uerber detruſurum.
Porriciam, porrò iaciam, uerbũ ſacrificale Macrobio.
Paratragœdiare, eſt grãdia uerba facere, & imitari tra gœdiam.
Prodis, parauit, aperuit, diſſoluit.
Prorſus, recta uia: unde rectus ſermo, proſa dicitur, cõ traria uerſui.
Pollinctores, qui mortuos curant, quaſi pollutorũ un ctores: uel à uerbo pollincere, id eſt, lauare.
Proſedæ, meretrices ante ſtabula & diuerſoria ſeden tes: unde & proſtibula.
Papauer erraticum, non triticum, in Pœnulo legendũ, ratio quoq; carminis admonet. id mulſæ aquæ le nit, & uentrem ſoluit. Dioſcor. lib. 4.
Pentetronica pugna, fictũ nomẽ à uaniloquo milite.
Pollinario cribro, quo tenuiſsima farina & flos tantũ excernitur.
Pala, inſtrumentũ ruſticũ, à pãgendo, ad fodiendos a gros.
Paries albus eſt, in quo edictũ prætoris adſcriptum e rat: & ideo ſimpliciter album quoq; dicitur.
Palaguſiæ, in Rudente, nomen piſcis.
Puluiſculus, puluis. puluiſculo conferri dicimus, cum omnia ſic tolluntur, ut nihil ſit reliquum. metapho ra ſumpta ab his, qui areã conuerrũt frumentariã.
Proreta, qui proram regit.
Paſceolus, ſacculus ex aluta, qui aliud marſupiolũ cõ tinet.
Pollucere decimam, eſt polluсto ſacrificio decimã of ferre. indè polinctura, pro opulẽto ſacro & cõuiuio.
Prothymiæ, bene merendi ſtudia, alacritates.
Præſtibile, id eſt, præſtat, conducibile eſt.
Præneſtinos ruſtico ſermone uſos notat Plautus, qui tã modo dicebãt pro modo, & coneã pro ciconia. eorũ peregrinitatẽ illuſit Lucil. ut eſt apud Fabiũ.
Præficæ, mulieres conductæ ad plorandum in funeri bus, & defunctorum laudes prædicandum.
Patellarij dij, qui patellis placarentur. Sunt autem pa tellæ,

tellæ, uaſa ſacrificijs apta. Cæl. Rhod. lib. 1. cap. 3.
Prolatæ res. Alc. lib. 6. cap. 27. Parerg.
Pertractatè facere, id eſt, rem uulgatam tractare. Plautus in prolog. Capt.

Q

Quaſſare uidetur fictitium uerbum, à ſtrepitu uini de cado egredientis, in Milite. qui locus non uideo quomodo aliter poſsit intelligi.
Quippini, ſiue quippeni, cur non.
Quadruplatores, accuſatores criminum, qui quartã partẽ bonorũ eius quẽ cõuiciſſent, ex lege acquirebãt, dodrãte apud fiſcũ remanẽte. Sed plerunq; per colluſionẽ accuſatorũ accidebat, ut nec dimidiũ in publicũ redigeretur, quandoq; ut nihil, ueluti cum falsò quis reus delatus erat. Quapropter, ut licẽtia quadruplatorũ reſtringeretur, æquũ fuit ſtatuere, ut tantidẽ illi condẽnarentur, niſi probarent, quanti rei fuiſſent condẽnandi, ſi accuſator obtinuiſſet. cui rei hodie Turpiliano S. C. prouiſum eſt.

R

Rumiferant, diuulgant, rumorem ſerunt.
Rauis, raucitas: rauio, ad rauim uſq; clamito.
Regilla tunica, eſt magnifica, ac penè regia.
Ralla ueſtis, à raritate texturæ: cui contraria, ſpiſſa.
Rica, ſudarium Nonio.
Rauiſtellus, raui colores, id eſt, inter flauũ & cæſiũ. Feſtus.
Recuperatores, iudices, qui incerta cognoſcunt & diſcernunt: qui hodie iudices delegati dicuntur.
Ramenta, reciſſamenta, quiſquiliæ.
Reſtio, ſuſpenſus.
Ramices, uenæ circa inguen intumeſcẽtes, unde eorũ ægritudo, qui nimiũ clamant. Celſus ipſum tumorẽ ramicẽ eſſe ſentit. ſed fortè Plautus de tumore intellexit in anteriore parte gutturis. Subdit enim, Iãdudũ ſputo ſanguinẽ. Sic in Pœn. hiſtrio nolẽs clamare, inquit: Tua cauſa nemo nóſtrûm eſt rupturus ramices. tumet enim guttur, quando ex laſsitudine quis anhelitum nimis retinet.

Recipere, excipere, ſibi reſeruare.
Res ſignificationes uarias habet. Auſonius: *Imperium, litem Venerem, cur una notat res?* in Pœnulo pro coleo uirili accipit: Tenetis rem: uix quidem hercle: nam ita pauxilla eſt, digitis primoribus.
Recuſare, uerbū iuris eſt, cum iudicium alicuius quis detrectat. quo in ſenſu & in Pœnulo accipitur. & à Plinio in prolog. Nat. hiſtor.
Raſo capite. ſerui accipientes libertatem, in templo Feroniæ radebant caput, & accepto pileo liberi fiebāt. Ser. lib. 8. Non. Marc.
Reliquom, in Captiuorū prologo, ſumpta metaphora à debitoribus, qui parte ſoluta, reliquum debēt.

S

Sacres porci, ſinceri. uide Porci.
Solſtitialis morbus eſt, qui æſtu nimio cōtrahitur. ſolſtitium enim ſimpliciter pro æſtiuo accipitur, quod eſt 8. kal. Iulij. Sic Virg. *Solſtitium pecori defendite.*— & rurſus: *Humida ſolſtitia atq; hyemes optate ſerenas Agricolæ.*— Ouidius de Ponto: *Voxq; Tardior æſtiua ſolſtitialis erit.* Sunt qui hoc morbi nomine ſiriaſin intelligunt.
Summi uiri, patritij, in Amph. uidetur. inde tractum, quod ait Plautus in Captiuis: Imi ſubſelli uiros.
Scrupuloſa uia, id eſt, difficilis & ſalebroſa. unde ſcrupum inijcere apud Terentium. Plautus in Captiuis ſubdit: Deinde cum calceatis dentibus ueniā tamē. ea ratione, quòd calcei impediunt, ne pedes lapilli poſsint lædere.
Saturni hoſtia. nam Saturno ſacrificari humanæ hoſtiæ conſuerant. Cæl. Rhod. lib. 13. cap. 23.
Schema, figura & ornatus eſt, Græcè σχῆμα. & imò primā producit. Quapropter in Amphit. ſic emendandum putaui illud carmen: Quod ego huc proceſsi cum ſeruili ſchemate. idq; etiam contra Donati grāmatici ſententiam: cuius autoritate, potior apud me fuit ratio.
Sperata, ſpōſa. Nonius Afranij locū hūc adducit: Cur-

re, &

re, & nuncia me uenire, & mecũ ſperatã adducere.
Superſtitioſos ueteres dixere diuinatores, quòd id genus hominũ plurimas ſuperſtitiones habeat. unde in Aulu. Quid ſi iſta aut ſuperſtitioſa, aut ariola eſt?
Scipio, baculũ ſignificat: unde cognomẽ Corneliorũ Romæ.
Simitu, id eſt, ſimul.
Statim, perſeueranter, æqualiter, prima producta.
Scriptura, uectigal, quod paſtores ſoluũt, ut liceat pecuaſſere in agro publico pop. Rom. Nõ licebat aũt ſcripturario & ara, id eſt, pecuniã uectigalis ſeu ſcripturæ accipere, & pecora ipſa ceu cõmiſſa in legem.
Sĩgrapha, chirographũ, à duob. uel plurib. ſubſcriptũ.
Scribere, nũmos dare eſt: reſcribere, reddere: metaphora ab his ſumpta, qui per argentarios numerant.
Suppilare, furari eſt. mediã producit Horat. *Suppilaſſe putes.*——
Socienus, ſocius.
Semizonarij, ſic riſus captandi cauſa dicti, qui ſemicinctia & gremialia faciunt. Sunt qui ſemiſonarios legũt, ab hemiopis, hoc eſt ſemiforis tibijs. quod non placet.
Sultis, ſi uultis.
Sublinire os, deridere: metaphora ſumpta à ludicro, cuius Virg. meminit: *Sanguineis frontẽ moris & tempora pingit.* oblinebatur & quandoq; fuligine, ut in Pœn. Si tibi illinc non os oblitum eſt fuligine.
Singulariæ, catenæ ſimplices & leues.
Seuum, pro omni pinguedine. excoquere ſeuum diuites prouerbialiter dicũtur, qui & uti & abuti ob copiam diuitiarum poſſunt.
Sarrire, ſerriculo ferro terram colere, & purgare.
Scirpiculis, uiminibus: diminutiuũ à ſcirpo, ſeu iũco.
Sectarius ueruex, qui ſectis eſt teſtib. carnis ſapore cõmendabilis: uulgo mutonẽ uocãt: cũ cõtrà integer qui aries eſt, ſit illiberalis & graueolẽs. is & petro dicitur.
Subbaſilica, locus prope forũ piſcariũ.
Sutelæ, doli, à cõſuendo: unde cõſũti doli, in Amphit.
Stati dies, qui iudicij cauſa cũ hoſte, id eſt, peregrino cõſtituũtur. Macr.
Stacte, gutta myrrhæ arboris.
Sinus, prima producta, nomen uaſis.

Saltura,tempus ſalſuræ,quod expectare lenonē iubet, ut interim excreſcant inteſtina. futurū enim ut ipſe leno minoris ſit precij,quàm illa ſale condîta.
Strategus,dux exercitus. Græca uox eſt.
Sciſcere,decernere. unde dicitur, ſciſcere rogitatiões, id eſt,leges uel plebiſcita.
Symbolū,collatio eſt,ut plurimū pecuniæ comeſſandi cauſa.
Symbolæ,percuſsiones,uerbera.
Sernita,uaſis nomen in Caſ.ſunt qui ſeriam emendēt. unde ſeriola Perſio.
St,nota ſilentij.eſt apud Plautum in Caſ.& Terent.in Phor.St,quid has metuis fores?autor Seruius.
Sculponeas,ceſtus plumbo ligatos.Fulgentius.
Solea,piſcis,ſeruat etiamnum uulgo nomen.
Sutrium cum defeciſſet, quia in loco ſterili erat ſita, oportuit milites omnia neceſſaria ſecū deferre.autor Liuius.
Sinceractū ueteres dicebant omne medulloſum,ut autor eſt M.Varro.unde exſinceratus,exmedullatus.
Subicitare,ſubagitare,quandoq; & mitem reddere.
Spiſſum,lentum.unde ſpiſsigradi, qui lentè ambulāt.
Saburratæ,ſaturæ,plenæ:translatio à nauibus, quæ ſaburra,id eſt ſabulo onerantur.
Subminium,minij colorem ferè imitantem.
Supparum,linteum femorale, aduſq; talos pendens: dictum,quòd ſubtus appareat.
Scaphium,quo immingunt mulieres,ſimile ſcaphæ.
Stega,tabulatū,ſuper quod nautæ ambulant. Fulgēt.
Solum,ſolea calceorum ſeu crepidarum.
Subleſtus,leuis,friuolus.Marcell.fallax.
Soricina nænia,eſt ſoricum eiulatus:unde indicantur, quamuis lateant,transfodiunturq́;.
Sumanus,Pluto,qui ſummus eſt manium.Cæl.Rhod. lib.2.cap.3.
Saturites,nomē propriū, Græca forma pronunciatū.
Spinter,fibula in humeris,inſtar ſcutellæ, uel armillæ ſpecies.
Stalagmum,aureū ornamentū,Feſto.

Sidola-

Sidolatronię, confictum eſt à paraſito, Cylum laconię pronunciare neſciente ob imperitiam.

Spinturnicium nomen fœminæ turpis, à ſpinturnice incẽdiaria & abominabili aue, cuius Plin. meminit.

Stratiotici, militares.

Scapulæ pruriũt, id eſt ariolãtur ſibi malũ & uerbera.

Sambuca, inſtrumentũ eſt muſicum, ſeu organũ triangulare: unde ſambucinæ, ſicut tibicinæ & fidicinæ.

Solſtitialis herba eſt malua & heliotrobiũ, quæ propter humoris abundantiam æſtu ſolari exuguntur, & folium aperiunt, qua parte eas ſol intuetur, ut Theophraſtus autor eſt: & ideo ſe ſemper ad ſolem uertunt, eo occidente rurſus adſtringuntur. uidetur tamen Plautus intellexiſſe de herbis, quæ floreſcũt, & ſtatim flos eis cum caule decidit: qualis eſt farfarus, ſeu tuſsilago Dioſcoridi. nam & ſolſtitiũ ipſum unico die perficitur, ſecundũ Columellam, qui ſolſtitialem appellat ſpinã, eadem ut arbitror ratione.

Supercilium ſalit, ubi ſperamus ſucceſſurum quod conamur: à mulierculaṙum ſuperſtitione translatum. Sic & Theocritus: Salit mihi oculus dexter. hinc in Milite: Ei nihil mittetur, quæ ſupercilio ſpicit, id eſt uidet. Feſto. quod arbitror ad has diuinatrices referri, quæ ex ſubſultatione oculorum futura præno ſcunt. unde palmicum prognoſticum dicitur, Poſsi doneo autore.

Sternuas, ſternuitas, uiuis, ſpiritum trahis. Catuli. Dextra ſternuit approbatione.

Scriblita, placenta ex caſeo, ſine melle, cibus ſecundæ menſæ.

Schœno delibutæ meretrices. mihi placeret ſeuo. ſed Feſtus ſcenum unguentum eſſe tradit peſsimi odoris. ſunt & ſchœni iunci ſeu funes, è ſparto.

Sorbulis, ſorborum pomorum quædam ſpecies. minor eſt, quæ torminalis appellatur. unde iocus Milphionis in Pœn. qui quoniam intus propter plagas torquebatur, indigere ſorbulis ait: ad tormenta ſcilicet expellenda.

Seſama, leguminis genus dulciſsimi, quo in Græcia utuntur ad panificia.
Strithium, pomum eſt cotoneum, maius & oblongũ, quod uulgò pirũ cotoneũ uocamus, eo cum melle cocto fit dulciſsimum condimentum, quod cotoneatam uulgares appellant.
Subigatrix, tribas: ut Sappho fuiſſe fertur.
Satracum currus eſt. Iuuen. ——*Et longa coruſcat Sarraco ueniente abies.*——
Statum, curriculi genus.
Staticulus, genus ſaltationis Macrobio. & ſtaticulum, curriculi genus Plinio.
Striatæ, canaliculis diſtinctæ.
Silones, naſo ſurſum uerſus repando.
Statutum, magnæ ſtaturæ.
Subaquilum, ſubfuſcũ, ſic ſubuulturium, ſubnigrum.
Sicula, diminutiuum à ſica. ſucula, à ſue.
Salſura, appetitus: quia ſal orexim incitat.
Sacciperium, uidetur fuiſſe maior pera, inſtar ſacci, in qua uiatores marſupia, crumenas, bulgas, & huiuſmodi minores folliculos conijcerent.
Sarta tecta habere, eſt ſumma cura tueri: translatio à cenſoribus, ad quos cura pertinet, ut ſarta tecta loca publica eſſe procurẽt: ut quod ruinam minatur, ſarciatur: quod perpluit, tegatur.
Sandaliũ, crepida mulieris. unde Sandaligerulæ, quæ dominæ crepidas gerunt.
Sopiti, id eſt grauiore ſomno oppreſsi, deridiculi cauſa extra ſcenam deferebantur, excludebanturq;.
Sponſio. litigaturi inuicem ſolebant prius ſponſione ſe obligare: & actor, ſi ita eſſet ut ipſe intẽdebat, certam pecuniã ſibi dari ſtipulabatur: & ni ita eſſet, reo promittebat. quæ ſtipulatio ex re iudicata cõmittebatur. & is contractus propriè ſponſio dicta fuit. Quòd ſi pecunia deponeretur, quoniã in æde ſacra cõmendari ſolebat, ſacramentũ appellabatur. hinc ſpõſione uincere, & ſacramẽto uincere M. Varroni, Ciceroni, Fabio. huius rei exẽplũ in Rud. eſt, ſi tuas

eſſe

eſſe oportet, néue eas eſſe oportet liberas. ſubaudiebatur enim: ſpondes te centũ daturũ: ſed leno nolẽs quicquã deponere, & ſibi ipſe conſcius ſe iniuſtam cauſam fouere, non permittit ut is ſponſionẽ perficiat, & loquentis ſermonem interrumpit.

Satis abs te accipiã, in Sticho prouerbialiter dicitur illi cui nullam fidẽ habemus, quoniã hi quorũ fidei nõ credimus, ſolẽt fideiuſſorẽ præſtare qui ſatiſdet.

Sõniare aurũ, in Sticho, uidetur prouerbiũ in eos qui magnificas res ſibi promittũt, cũ uiles tamẽ reperiant. ductũ apparet ab euẽtu, cũ quidã ſomniaſſet ſe defoſſum certo loco aurũ reperturũ, & expergefactus ſolos carbones reperiſſet. de quo Lucianus in Timone. Sed cũ hic ſenſus nõ multũ quadret Plautino argumento, fuere qui emendarẽt, Seminare aurũ, id eſt, uinũ aurei coloris in uas Samiũ immittere. uerũ & hoc nõ uidetur mihi multũ cõuenire, preſertim ſyllaba repugnãte. eſſet enim trocheus in prima ſede iambici trimetri, quod uitio nõ caret. fortè legendũ: Quis ſeminauit aurũ, ut prouerbialiter dicatur, in prodigos & donantes inutiliter, quod etiamnum uulgo eſt in uſu.

Sudare, in Amphit. pro monſtro eſt, quando qui ſudat tremit. Cæl. Rhod. lib. 6. cap. 4.

T

Tax, uox ficta, à ſonitu uerberum & percuſsionum.

Torulus, uidetur intortus orbiculus eſſe, quo ueſtes connectimus: uulgò bottonem uocamus. Sunt qui legant Trochulus in Amphitr.

Tres uiri in capitalib. cauſis ius dicebãt, autor Liuius ab urbe condita lib. 1. ijdem & carceribus preerant.

Tractatim, ſine intermiſsione. Ser. in 4. Georg. ſenſim

Tullutim, uolubiliter ſine ſuccuſsione. (Nonius.

Trygon, piſcis paſtinaca lati ſuis dicitur. (tur.

Thermopoliũ, ubi eſculẽta & poculẽta calida uendũ-

Talorum in iactu felix eſt Veneris ſignũ, infelix canis, ſed Plaut. Herculis quoq; iactum celebrat, & uolturum infauſtum oſtendit.

Tricæ, impedimẽta. prouerbialiter etiam dicitur pro re uili, ab oppido Apuliæ, quod Diomedes euertit.
Tragula, genus teli, ꝙ ſcuto infixa trahatur. Feſtus.
Titinilitium, res nullius precij, ueluti fila putrida. Fulgentius, & Nonius.
Teſſera, ſignum hoſpitale. illam confringere dicitur, qui ſibi in illud hoſpitium reditum præcludit.
Trãſenna, extentũ funẽ notat Saluſtio. inde metaphoricôs pro laqueo & dolis. quandoq; pro cancellis, quibus matronæ in feneſtris utuntur, ut alios uideant, nec uideantur.
Thymanæ, oues pingues, ꝙ ſint habiles ad ſacrificandũ: à thyo, quòd eſt ſacrifico. uel à thymo, herba odorata, gratiſsima illis in cibo. unde in lapideis cãpis, qui ſunt in prouincia Narbonenſi, proditũ eſt, maximũ reditum percipi ſolitũ, pecudũ milibus eò cõuenientibus, ut thymo uefcãtur. autor Plin. li. 21.
Talaria lex quæ ſit apud ueteres, nondũ legi. Tabulariã legi: nam quũ Caſsius Longinus legẽ tuliſſet, ut populus per tabellã ſuffragiũ ferret, huiuſmodi leges Tabellariæ dictæ ſunt. Videtur aũt Plaut. in Milit. intellexiſſe de Horchia lege, qua numerus cõuiuarũ præſcribebatur, ut Macrobius autor eſt. Quid ſi tabularia dicta ſit, ꝙ cẽſorijs tabulis cõtineretur. ad cenſorũ enim officiũ pertinet, ſumptus coercere. his ſumptuarijs legib. cõtinebatur, ne quis in cõuiuijs talos haberet. unde arbitror talariam legem à Plauto dictam. Horat. Vetita legibus alea.
Terginum, flagellum ex tergore bubulo.
Theoricæ. Theoricas puellas Plautus appellat, quæ adoleuerũt. metaphora à theoricis, id eſt, cœleſtiũ contẽplatorib. & aſtrologis ducta, qui ad cœlũ ſemper ſuſpiciũt, & in editiora loca cõſcendũt. Sic emẽdandũ eſt carmẽ: Theoricæ ſunt, ad cœlũ ſuſtolli ſolent.
Thalaſsicus, marinus.
Tuburcinari, raptim comedere, & uorare.
Tipula, uermiculi ſeu beſtiolæ leuiſsimę genus, ſex pedes habens, quæ ſuper aquam currit, nec decidit.

Tollo-

Tollonē,ſeu tollenonē,inſtrumentū appellamus,quo aquas è puteo haurimus, p̄grauāte poſteriorē partē pondere.
Techna,tendicula,laqueus.
Tribus obliuiſci,eſt obliuiſci cōditionis ſuę: ꝙ in qua libet tribu uniuſcuiuſq; conditio erat deſcripta.
Terructius fur cercopicus,crinnus,cercobolus,collabus,fictitia nomina ſeruorū,qui in thermopolio cū Staſimo fuerant.
Tutor in Truc.pro meretrice accipitur,quæ ius ac poteſtatem habet in caput ac bona amatoris.
Talthybius,nuncij nomen in Sticho, ſumptū ex Homero,apud quē Talthybius Agamēnonis nūcius eſt.

V

Vſura uſum ſignificat. unde uſurarius, cuius habetur uſus.
Vinula oratio,id eſt blāda,illecebroſa,ſuauis.
Votitum,uoto uel religione aliqua prohibitum.
Votiuum,cupidum, à uoto,id eſt deſiderio.
Vicarius,ſeruus eſt,quē ordinarius certæ adminiſtrationi cōſtituit.ordinarius ſeruus eſt, qui uniuerſam dominicarū rerū adminiſtrationem habet.Martial.

Eſſe ſat eſt ſeruum,iam nolo uicarius eſſe.

Venus in talis optimus eſt iactus, & ſummus, ut qui millenarij ſit numeri.Acro in Horatium.
Vadari,eſt in ius trahere uadato iudicio, id eſt capitali,in quo uadem iudicio ſiſti oportebat. Vadimonium,ſponſio ipſa ſiſtendi certo die.
Vpupa,auis.unde mulleus illi ſimilis nomen ſumpſit.
Vulturius,tali iactus infauſtus.in Curcul.Cæl.Rhod. lib.8.cap.18.
Venter.Alc.lib.6.cap.7.Parerg.
Vino amicæ flores inſpergit Phędromus in Curcul.ex ueteri cōſuetudine.Ariſtophanis interpres in Pluto. hinc multitudinē amatorum Laidis deprehendiſſe Theſſalas mulieres, & idcirco zelotypia incitatas ſcribit.
Vrna mulſi.Alc.cap.16.lib.6.Parerg.
Vortunt,id eſt,uerſuram faciunt,uel decipiunt. Verg.

Seu uerſare dolo.——

Venales & uenalitij,ſimpliciter accipiūtur ſerui, quos mangones mercales habent.Sunt aūt hi mangones barba-

barbarie & ſeciſtia inſignes, ut in Rud. unde habere uenalẽ, eſt durè tractare, & nihili facere, in Milite.
Verculum, diminutiuum à uere nouo.
Vidulus bulga & inuolucre uiatorũ. quandoq; metaphoricôs pro tegmine pudendorũ uidetur accipi.
Veruina, ueruti ſpecies, ſcilicet telũ oblõgũ, Fulgẽtio.
Vmbra, notiſsimæ ſignificationis, eſt etiam nomẽ gentile ab Vmbria, cuius urbs eſt Sarſina patria Plauti.
Viaticari, eſt præparare neceſſaria ad uiam, uel abeſſe & uiaticum conſumere.
Velitari, altercari eſt, & leuiter certare.
Valgi intorti cruribus, unde ualgis ſuauijs, id eſt, diſtortis buccis & deridentibus.
Viui cuſtodes, id eſt, pediculi, ut Næuij ſorditatem taxet. alij ad ebrietatẽ referũt, & legũt, uini cuſtodes.
Vineæ, Plutei tabulæ, ſub quib. latent qui operib. urbẽ cingũt ut eã expugnẽt. Vegetio. Catos hodie uocãt.
Vietus, lãguidus, flacceſcẽs ſicuti uimina utilia. ĩde uietores qui circulos uaſorũ faciũt. Aelius Donatus P. Magiũ Virgilij patrẽ uietorẽ fuiſſe quãdoq; tradit.
Varus intortis cruribus. Varius, lentiginoſus, à uaris, quos uariolas uulgò uocamus.
Vorſoria, inſtrumentũ nauticũ, quo ſecundum auram nauis uertitur. Sunt qui exiſtiment eo cognoſci ſolitum, unde flaret uentus, cuiuſmodi hodie eſt magnetis uſus: inde cape uorſorium, id eſt, ut uulgo dicitur, Verte manum.
Vaſa in Pœn. inguina ſignificãt. Virg. Grãdia Dulichij uaſa tuliſſe uiri. hîc bene uaſati in uita Heliogabali.
Volucres hircinæ. in Pœnulo propter hircum, id eſt, alarum fœtorem.
Vernaculum ſeruile, à ſeruis qui uernæ dicebantur.
Vitulari, lætari, uitam alacrem ducere.
Vnctiones ſudatoriæ Græcis in uſu, qui priuſquã accumberent, in balneare ſudatoriũ ingrediebantur. quẽ morẽ Romani poſtea corruptis moribus imitati ſunt, & adhuc nõ perfecta prioris cibi digeſtione in balnea ibant, ut rurſus accumberent. Iuuen. Et

crudum

crudum pauonem in balnea portas. moris meminit. Cecil. Plinius Epiſt. 3.

Veſtiſpici, qui ueſtes curant. ſignificantur & pueri puberes, quia ueſtem pro pubertate antiqui dixerũt.

Venter, in uentrem filio correpere, iccirco dictum in Trinummo, quoniam ædes ipſas filius conſumpſerat. unde ſenex ſi in ædes ſuas ire uoluiſſet, in uentrẽ filio debuiſſet ire. ille enim ædes deuorauerat.

Viriolæ, ornamenta manuũ, ſicut armillæ armorum. Alc. Parerg. lib. 4.

Veniam dare de bonis, metaphora ab his qui impetrata uenia abeunt.

Vina Græca condiuntur marina aqua, quale eſt quod bixon uocant, & halaſſomenon. ſic Rhodiũ & Coũ, & eo ſalſius Phorineum, Plinius autor lib. 14. cap. 8. unde in Rudent. Vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare.

Vitex arbuſcula, quã Græci agnon dicunt, optima uinculis laqueiſq; faciendis. unde potione uiticea onerare gulã in Sticho, id eſt, ſe ſuſpendere, per amphibologiam à ſimilitudine uocis: uidetur enim de uite locutus cum uiticem intelligat.

Vmbroſum, ſeueritatẽ ac duritiẽ notat Plautus in Milite, Poſt Epheſi ſum natus. non enim in Apulis, nõ in Vmbria. Sic & Ouidius lib. 3. De arte amandi: *Illa uelut coniux Vmbri rubicunda mariti.* quibus uerbis ruſticitatem puellæ arguit. Vnde Vmbrica cõuiuia Plutarcho in Sympoſijs pro parciſsimis interpretor, quibus duri & caſtrenſes cibi ſolum adponantur, nec hi quidem quantum ſufficiat. ſed alij aliter, quibus non aſſentio.

Vtrum ubi, in Sticho, pro utrobi, id eſt, utrò in loco, ſicut necubi in Milite, ne quo in loco.

Vultures. Cel. Rhod. lib. 5. cap. 18.

Vmbri. Alc. lib. 6. cap. 16. Parerg.

Z

Zamia, techna & fraus, qua alicui damnum inferatur.

Zeugma, urbs Perſidis, emporiũ nobile unguentorũ.

IOACHI-

IOACHIMI CAMERARII DE COMICIS VERſibus, & in Plauti comœdias XX. annotationes, ab autore ipſo correctæ atque auctæ.

DE CARMINIBVS Comicis.

DE Plauto fabularum iſtarum autore pauca dicam, in primis ut cõſtet quo tempore uixerit. Hunc incidere in ætatem Catonis: quo & ipſo cenſore mortuum eſſe, ſcripſit Cicero, ante ſe Cos. CLX. annis, hoc eſt ab V.C. circiter D. P. Claudio, L. Portio Coſſ. Cuius ætatis, in quã Næuius quoq; includitur, participes fuere ultra citráq; Ennius, Cecilius, Pacuuius, Terentius. Pacuuiũ quidẽ ac Cæciliũ malè locutos, Cicero ait. Enniũ & Næuiũ probat. Sed noſtro ſtudio relictus eſt Plautus & Terentius tantũ. De his igitur petenda forma Latinæ locutionis, & ſternendum quaſi ſolum, ſuper quo oratio bona & diſerta, uerbis & ſententijs aptè conſtructa collocetur. Non enim cõpoſitio, neq; ueluti ædificatio qualis eſſe debeat illius, hinc cognoſci & diſci poteſt. Etiam munditiæ & nitori, &, ut ita dicã, innocentiæ ac integritati ſermonis antiquitas officit, cùm quia omniũ rerũ eſt ſua elaboratio & perpolitio, quæ perfectio exiſtimãda: tum quòd ſtudiũ elegantiæ ut in uita, ſic ſermone quoq; illa nõ uſurpauit.

pauit. Quapropter poſteriores in ſermone priorum nõnulla mutarunt emendantes, formã certè cõponendo, & quaſi coagmentando atq; recõcinnando reddiderunt & pulchriorẽ & meliorẽ. Hæc iam illa eſt certa & conſtans, atq; omniũ eruditionis atq; bonarũ artium cupidorũ imitationi ſola propoſita, Ciceronis, & eorũ qui ætate illa uixerunt: ſed Ciceronis, ut principis & autoris Latinæ linguæ, de quo alibi diſſeruimus copioſius, cũ contra repræhenſores huius ſtudij diſputaremus. Hæc autẽ qui perſpexerit, in Plautinis & Terẽtianis ſcriptis ita uerſabitur, ut quaſi materiã orationis bonæ, & ſi fas nobis eſt dicere, eloquentiæ Latinæ ab illis ſumat, neq; in delectu uel uerborũ uel figurarũ ſermonis allucinabitur. Sed de hoc iamdudũ ſatis. De comico aũt carmine etſi alij ſcripſere, quæ & magnifacio & probo, tamen noſtro quoq; ſtudio exiſtimo adhuc loci aliquid relictũ eſſe. Cum res illa quidẽ eiuſmodi ſit, ut penitus cõpræhendi, & omniũ etiam diligẽtia quaſi enucleari his tẽporibus nequaquam poſſe uideatur. Quo aũt eſt difficilior labor, eo aſſiduitatis pluſculum in ueſtigando adhiberi cõuenit. Nihil aũt tam eſt abſtruſum, de quo nõ aliquid, ſi ſæpius & ſtudioſe exquiratur, erui poſſe ſperandũ ſit. τὸ γὰρ ζητούμενον, inquit Sophocles, ἁλωτόν, ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον. Minus autẽ certè turpe eſt, in eo à quo quamplurimos magnitudo & obſcuritas deterruerit, quantumuis modicos, quàm illorum ueſtigijs inſiſtentẽ nullos progreſſus feciſſe. Si tamen eſt adeò digna res, ubi quis neruos intendat ſuos, ut ait Terentius. Quod quidem ita eſſe nobis perſuaſum eſt, & ſenſerunt omnes qui aliquam fa-

mam eruditionis litterarum & doctrinæ conſecuti fuerunt. Cum quidem non ſolum beſtiæ demulceantur numeroſo ſono, ſed ſolitudines etiam atq; ſiluæ quaſi afficiantur, ita reſpondeant carminibus. Qui muſarum reliquias in cura bonarum artium non amplectetur, uel etiam contemnet, eum nos quidem nimis aut faſtidioſum aut barbarum quoq; eſſe iudicabimus. Etſi fatemur in hac parte ſuperuacaneū, & in quodam inconceſſo amore Muſarum inſanum ſtudium impendi non oportere, ne ſequentes, uolucres illas, hoc remigio deſtituti, ut de Pyrenæo fabulæ tradunt, in exitium nos præcipitemus. Sed ad rem accedamus: pauca quidem quaſi præfati de horum ſcriptorum genere. Comicus poeta fuit Plautus. Comœdia aũt eſt poema δραματικὸν, *hoc eſt expoſitio numeroſa, id eſt, carmine cõpræhenſa, & in actionẽ implicita, ſeu collata in perſonas, argumẽti ficti, de rebus, caſibus, negotijs ſumtis è uita cõmuni, & quaſi cotidianis euẽtis. Hoc carminis genus de Tragœdia fluxit, ut Horatius docuit, qui Theſpin dicit inueniſſe ignotum genus Tragicæ Muſæ: atq; addit,*

Succeßit uetus his comœdia non ſine multa Laude.

Initia aũt fuiſſe admodum parua et rudia, cum hilares, poſt labores exactos, diebus feſtis cõcinerẽt aliquid, et alij, & idẽ Horatius in epiſtola ad Auguſtũ perhibet, ubi dicit, ab innoxijs iocis libertatẽ hanc ad intolerabilem licentiã prouectam fuiſſe. Qui primus aũt Comœdiam ſcripſerit, nõ cõſtat. In libro qui Ariſtoteli inſcribitur de Poetica, inter alia et hæc leguntur: Siculos ſibi uendicare inuentum comœdiæ, fuiſſe enim Epicharmũ ante Chonnidẽ & Magnetem: et uti nominis quoq; teſtimonio.

ſtimonio. Eſſe enim certè comœdiam non ἀπὸ τοῦ κώμου, ſed ἀπὸ τῶν κωμῶν, id eſt, nõ de hilaritate et exultatione, ſed de pagis appellatam. Sed ab Atheniẽſibus pagos nõ κώμας, uerùm δήμους uocari. Similiter & quoſdam Peloponeſios ait ſuum facere inuentum Tragœdiam, quòd fabulæ δράματα dicãtur, cũ tamẽ Athenienſibus in uſu nõ ſit uerbum δρᾶν, ſed πράττειν. Ibidem & hoc ſcriptum eſt. Ab eo demũ tẽpore comœdiæ autores celebrari, quo formam illa & ſpeciem quandã nacta fuerit, cũ principiò obſcura eſſet, et autores ipſius laterẽt. Sed comœdia quæ priſcis temporib. in uſu fuit, qua nominatim hi aut improbos aut inimicos ſuos perſtringebant, principũ etiam uirorum uitam & mores reprehendentes, hæc igitur antiqua dicta eſt. De cuius licẽtia κωμωδεῖσθαι uulgò dixere eos, qui probris laceſſerentur. Huius autor uetuſtiſſ. nominatur Sannyrio. Sed excellẽtes fuere, temporibus belli Peloponeſij,

Eupolis atq; Cratinus, Ariſtophanesq; poetæ.

Hæc poſtea fuit mutata, cũ dolerẽt, ut inquit Horatius, cruento dente laceſſiti. Tũ nomen obtinuit Mediæ, quæ diſſimulato nomine uitia tãtũ exagitaret. Quinetiã lex, Pœnaq; lata malo, quæ nollet carmine quẽquã Deſcribi. Atq; ferunt Eupolin in mari ſubmerſum, ab ijs quos maledictis læſiſſet. Tum igitur Tragœdiarũ ferè argumẽta detulerũt in ſcenã, retexta ad ridiculũ modũ. deq; hoc genere chorus paulatim defluxit. In quo præ cæteris clarus fuit Plato comicus. Hãc ſecuta eſt Noua comœdia, in qua primas tenuit Menãder, potiẽte rerũ Alexandro magno. atq; hæc chorũ omnino nõ habet, ſed ornatu uario & multiplici perſonarũ inſignis eſt. Atq; hæc

indicanda breuiter & ſtrictim putaui, de initijs ac pro- greſſionibus Comœdiæ apud Græcos. Apud *Latinos au tem, Scenicos ludos inſtitutos fuiſſe C. uel ut alibi,* T. Sul *pitio Bætico (uel ut alibi, Petico, alibi Potito) C. Licinio Stolone Coſſ. notauit Valerius: & paulatim ludicrã ar- tem ad ſatyrarũ modos perrexiſſe, à quibus primus om- nium poeta Liuius ad fabularum argumenta ſpectantiũ oculos et animos tranſtulerit. Cicero autem ſcripſit, Li- uiũ primũ omnium fabulam dediſſe, annis ferè CCCCX. poſt Romam conditam. fuere autẽ celebrati primùm lu di Romani patrum & equitũ, qui & magni, ludicrum autẽ equi & pugiles, ut Liuius memorat, libro primo, qui & ludorũ plebeiorum mentionẽ fecit lib. XXVIII. Idem Liuius quo tẽpore et qua de cauſſa inſtituti & lu- di ſcenici dicti ſint, copioſè eadẽ quæ Valerius, retulit li bro VII. Quod tempus eſt urbis circiter CCCIX. Idem tamen lib. XXXVI. ſcripſit, ob dedicationem ædis ma- tris magnæ primos ludos ſcenicos factos, Valeriũ Antia tem eſſe autorẽ, Megaleſia appellatos, quod tempus di- ſtat à priore annis plurib. CLXV. Cicero Liuiũ fabulã docuiſſe, ut retulimus, ſcripſit in Bruto, & prima Tuſc. Claudio & Tuditano Coſs. anno A. V. C. CCCCX. Hoc Gellius retulit in annũ D. X. ideoq; fuere qui apud Ci- cerone numeros mutandos cenſerent. Quod nobis fieri oportere nõ uidetur, cum ipſe Cicero indicet, alios hæc aliter expoſuiſſe, & res ſint inexplicabiliter cõfuſæ. Sed poſtquam cõponere fabulas argumẽtoſas poetæ Latini cœperunt, ſequentes et uertẽtes Græcorũ ſcripta, in hoc genere magna licentia uſi fuerunt. Cum autẽ eſſent La- tinorum propria quædam poemata, ut Atellanorum,*

uidentur

uidentur libertatem illam in Græcis & Latinis argumentis poetæ Latini, non tam fuga laboris & cupiditate edendi ſua, ut Horatius putat, quàm neceßitate quadam cuſtodiiſſe, ne aures ciuiũ peregrinitate offenderẽtur. Ita factum puto, ut neque intra trimetros conſtiterint, neque Græcorum exquiſitionem & quaſi normã, ad quam numeros illi exegerant hi ſeruarint. Sed nunc deinceps de ratione horum, & carminum comicorum ſtructura, quæ noſtra diligẽtia obſeruauit, quæq; poſtulare uidetur lectio fabularum Latinarum, breuiter quidem diſſeremus: ita tamen, ut fortaſſe nondum ab alijs demonſtrata, indicemus. Metra præcipua ſunt nouem, Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapæſticũ, Choriambicum, Antiſpaſticum, Ionicum à maiore, Ionicum à minore, Pæonicum. E` quorum numero nunc eximemus Iambicum & Trochaicum, deq; ijs quæ uidebuntur, dicemus. Iambicum metrum à principe pede nomen habet: qui à conuicijs appellatus fuit, ut placet Ariſtoteli. cumq; ſit maximè conueniens ſermonibus (nam fortuitò etiam loquentes, iambos crebros proferimus)

Hunc ſocci cepere pedem, grandesq; cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & aptum rebus agendis,

ut ait Horatius. Hoc carmen cum purum eſt & integrum, omnibus in locis Iambos habet: ut apud Catullum,

Phaſelus ille quem uidetis hoſpites
Ait fuiſſe nauium celerrimus.

Et Horatium,

Beatus ille qui procul negocijs.

Quo aũt grauius paulo in tarditate procederet Iãbus,
Spondeos ſtabiles in iura paterna recepit
Commodus & patiens, non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter.—

Sed neq; Tragici hoc, in primis Latini, ſeruarunt, & comici omnib. in locis collocarunt pedes ſine diſcrimine, quinque: Dactylum, Anapæſtum, Tribrachyn, Spondeum, Iambum.

Syllaba longa breui ſubiecta uocatur Iambus.

Deos, cliens, ferox, quæ ſi ambæ breues ſint, Pyrrichius is pes uocatur: lege, here, graue.

Spondeus habet duas longas: exlex, concors, amens.

Tribrachys tribus breuibus conſtat: domine, canere, miſera.

Anapæſtus, duabus primis breuibus, poſtrema longa: Silices, rabies, patiens.

Dactylus, prima longa, ſequentibus duabus breuibus: litera, ſcribere, Muſica.

In Latinis Comicis rari Iambi ſunt, etiã in trimetris, qui ſunt Senarij. In integro tamẽ Iambico, uult eſſe ultimus pes hic, aut ꝑpter ultimæ indifferentiã Pyrrichius, quaſi definiẽs numeros ac uerſum. Sicut in dactylico, quintus dactylus. Horum loco cũ Spõdeus ponitur, ij uerſus tum σπονδειάζοντες *&* σπονδειακοὶ *dicuntur. ut,*

Armatumq; auro circumſpicit Oriona.

Apollinarem conueni meum ſcazon.

Claudicare enim hi uerſus putãtur, & σκάζοντες *nominãtur, &* χωλίαμβοι. *Comici aũt, ut dixi, numeros ideo min⁹ diſtinxerũt, ut ſimilitudo ſermonis cõmunis cuſtodiretur. Itaq; Cicero in Oratore ſic ait: At comicorum*

ſenarij

ſenarij propter ſimilitudinē ſermonis, ſic ſæpe ſunt abie ἀι, ut nõnunquã uix in his numerus & uerſus intelligi poßit. Hæc cõfuſio cùm eſt maxima, tũ carmina uocantur ἀπεμφαίνοντα, id eſt immanifeſta, & ἀνάρμοστα,

Excluſit, reuocat, redeam? non ſi me obſecret.

Qui uerſus, ſi producas penultimam, erit dactylicus σπονδαΐζων.

Tres unam pereunt adoleſcentes mulierem:

Totus dactylicus, præter ultimum Iambum.

Hoc genus et ad octonarios pducitur à comicis, qui ſunt τετράμετροι. à Latinis etiã quadrati uocãtur. Habet apud eoſdē & κατάληξιν, ita ut ad Senariũ additus amphibrachys, id eſt ſyllaba breuis longa breuis: aut bachius, id eſt, ſyllaba breuis longa, (ultima enim ſyllaba omnis uerſus eſt indifferens) hos numeros perficiat.

Nã ſi remittãt quippiã Philumenã, hic eſt τρίμετρος.

Addantur illæ tres ſyllabæ, dolores, & erit iam τετράμετρος καταληκτικός. Nã in hoc genere alij pedes, quàm ſuprà memorati, nõ nominãtur. Sed neq; ſeruarũt hoc, ut ante κατάληξιν ſemper eſſet Iambus: neq; nõ pro ſyllaba longa catalectica ſæpe duas breues poſuerunt,

Aedepol lenones, meo animo, nouiſti Luſce lepide.

Ante κατάληξιν τρίβραχυς eſt;

Tacuiſſe mauellem, hau malè meditate malè dicaces.

Ante κατάληξιν eſt ſpondeus:

Bene ego iſtam eduxi meæ domi, & pudicè. —

— Si huius miſeret.

Ante κατάληξιν eſt dactylus:

Nunquam me orares quin darem. nunc illum te orare melius eſt.

Lius eſt,in unam ſyllabam concreſcunt.

Hi uerſus appellantur Hipponactei,ab autore, & Latinè ſeptenarij:tum enim, Priſcianus ait, Varronem ſcripſiſſe,fieri ſeptenarium, cum ad ſenarium Iambicũ triſyllabus pes addatur,hoc modo,

Quid immerentibus noces? quid inuides amicis?

Talia ſunt Ariſtophanea in Pluto, quorum primũ hoc,

ὦ πολλὰ δὴ τῷ δεσπότῃ ταὐτὸν θύμον φαγόντες.

Trochaicum carmen eſt Iambicum commutatum.

Trocheus à uolubilitate & ratione nomẽ habet, cõtrarius pes Iambo,cõſtãs lõga et breui,ſcribe,Muſa,uerba. Hoc Iambum nõ admittit, quemadmodũ neq; in Iambicum trocheus ingreditur. Etſi reperitur etiã in Græcis τροχαϊκὸν τετράμετρον καταληκτικὸν,in cuius quarto loco ponitur Iambus,ut in Nebulis,

ὦ θεώμενοι κατερῶ πρὸς γ' ὑμᾶς ἐλευθέρως.Idq; εὐπολίδειον ἀσύστατον uocarunt.

Sed multo maiore licentia Latini uſi fuerũt, & paßim, ut uidetur,inſeruerunt Iambos.Docent aũt ita fieri hoc carmen, ſi ad ſenariũ Iambicum addamus creticon, qui ἀμφίμακρος;id eſt,ſyllaba longa breuis longa: ut aurifex,hoc modo, — Dij boni,

Boni quid porto,ſed ubi inueniam Pamphilum?

Et, — Lætus eſt,

Neſcio quid.nihil eſt.nondum hæc reſciuit mala.

Ita hos numeros compoſuiſſe Archilochum perhibent, atq; ab eo μέτρον ἀρχιλόχειον dictũ.Sed hoc nõ ſeruarunt comici,præſertim Latini,ut ſecundam ſyllabã breuem ſemper facerẽt,quod præceptũ de cretico ſubijcit, cũ in hoc uerſu ubiq; reperiatur, dactylus, anapæſtus,

ſpon-

ſpondeus, trocheus, τρίβραχυς.

Apage, non placet me hoc noctis eſſe: cœnaui modò.
Quid ſi ego illum tractim tangam ut dormiat? ſeruaueris.
Exoſſatum os eſſe oportet, quem probè percuſſeris.
Facinus, nequiter ferire malam malè diſcit manus.
Illic homo me interpolabit, meumq́; os finget denuò.

In fine eſſe ante κατάληξιν debet trocheus, ut carminis ratio appareat, ſed reperitur & τρίβραχυς. ut,

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exoſſas hominibus. Et Ariſtoph.

ὦ σοφώτατοι θεαταὶ, δεῦρο τὸν νοῦν προσέχετε.

Sæpe autē multumq́; uſi fuere hoc carmine archilochio comici, & illo plurimas ſermocinationes cōpoſuerunt. De alijs generibus quid dicam, aut quomodo in Latinis comœdijs indicē, nō habeo. Etſi Siſenna, referente Ruſino, anapæſticū metrum in Aululariæ quadam ſcena eſſe dixit, ſed conciſum ita, ut non intelligatur. In his igitur nos fruſtra torquere, præſertim tā fœdè corruptis exēplis, et in metricæ nequaquā exacta cognitione, nihil neceſſe, uel potius curioſitatis hoc fuerit, ocio nō admodū liberaliter abutentis. Cōfuſa quidē, id eſt, συγκεχυμένα μέτρα plurima ſeſe offerūt paßim tam in Plauto, quàm Terētio. in quib. Iambus & trocheus, et alij pedes ingredientes hæc metra, collocātur promiſcuè. Quod autem ad καταλήξεις & βραχυκαταλήξεις et ὑπερκαταλήξεις attinet, de eo magis ſuſpicari poſſumus, quàm certi aliquid demōſtrare. Qui tamē cogitatione nō illiberali his de rebus ſeſe occupare uoluerint, ij primū ad exēplū aliquod rationē numerorū in uerſibus cōferent, & ita in-

ſormabūt animo qualēcunq; notionē horū. Ponatur igitur hoc Numeros eſſe aptos quoſdā & determinatos, et cōſentaneos ſonos uocis humanæ. Hi cum in uoce natura inſint, in oratiōe quoq; ineſſe oportet. Sed cū abeſt cura cōpoſitionis, et ars quædā ueluti ſtructuræ, facilè illi et diſsipantur & deliteſcūt. Atq; hoc eſt q Ariſtoteles poemata, ſuapte ſpōte extitiſſe, et fortuitò prodiſſe ait, ipſe αὐτοσχεδιάσματα uocat. Hæc cōcinnitas quædā in omnib. linguis reperitur, ad quā auriū obſeruatione adhibita, uerſus extitit, elaboratus ſtudio et arte ingenioſorum & doctorū hominum, & proceſſu temporum ita ſuo quiſq; in genere perfectus, ut nihil fieri elegātius neque pulcri⁹, aut magis ſonorū poſſet. Poteſtq; de noſtris uernaculis cantilenis etiā aliquo modo hoc cognoſci, ut quāuis fortè hoc ineptū uideatur, ſed in docere fideliter cupiente nihil ineptū, ſi cōferamus hæc noſtratia ad illa erudita, nónne in his ſimiliter deſinentib. quæ noſtrum uulgus rhythmos appellat, aliqd iambicis ſenarijs ſimile agnoſcitur? & in modis chorearū, quaſi anapæſticū eſt & Pæonicū melos. Sed et in ſoluta oratione diligētia nūc multorū, accuratè uerba cōponēs, ῥύθμους qui ſunt numeri, efficit. Certò aūt et planè oſtēdere omnia, id eſſe eiuſmodi puto ut fieri nequeat. quemadmodū et in alijs quæ uſu perdita fuerūt, inſtauratio & reſtitutio abſoluta deſperāda eſt. Citius enim mihi aliquis illud Heſiodeū plauſtrū lignorum centum conſtruxerit, quàm ſcenam hoc tēpore explicuerit, omnib. partib. & numeris ſuis, ut dicitur, abſolutā. Hoc tamen dubiū non eſt, in linguæ cuiuſq; uſu cōmuni, horū rerum rationem cōſiſtere, quo labefactato aut amiſſo, illa quoq; uacillet atq; cōfunda-

tur,uel potius non magis appareat, neceſſe eſt. Eſt aũt in omni genere carminum uarietas numerorum depoſitionis,ut uocant: ea eſt uerſus concluſio, talis quædam. Verſus dicitur ἀκατάληκτος,qui eſt plenus & integer, & pedes ſuos habet totos. ut,

Poeta cum primum animum ad ſcribendum appulit. Verſus eſt Iambicus trimeter,qui & ſenarius ἀκατάληκτος. Sic eſt ἀκατάληκτος Theocriteus hic primus in fiſtula,

οὐδενὸς εὐνάτειρα,μακροπτολέμοιο δὲ ματήρ.

Et poſtea σκάζων,

μαίας ἀντιπάτροιο θοὸν τίκες ἰθυντῆρα.

Et mox καταληκτικὸς εἰς συλλαβὴν,

οὐχὶ κεράσταν ὅντοτε θρέψατο ταυροπάτωρ.

Et πεντάμετρος deinde,uel καταληκτικὸς εἰς δύο συλλαβάς.

οὔνομ' ὅλον δίζων ὃς τᾶς μέροπος πόθον.

Atq; ita uſq; ad δίμετρα καταληκτικὰ εἰς συλλαβὴν, καλλιόπα & νικλεύσω. Nã in hoc genere μονόμετρος ἀκατάληκτος fieret unus pes. Metimur enim omnia genera carminum pedibus duplicatis, præter dactylicum. Idq; & Rufinus teſtimonio Herodoti cõprobauit, ueteres factitaſſe. nam dactylica oracula reddita fuiſſe ait τόνῳ ἑξαμέτρῳ. Gygis autẽ facinoris meminiſſe Archilochum in Iambico uerſu τριμέτρῳ, qui huiuſmodi quidam ibi aſcribitur,

οὔ μοι τὰ γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

Eſt ergo & elegiacus dactylicus, quem, ut ſcimus,tribus dactylicis pedibus,additi anapæſti duo, abſoluunt,

ὅττι δὲ μοῖρα παθεῖν οὔ τι δέδοικα παθεῖν.

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Ita penthemimeris utraq; coniuncta, & ipſa facit ſpondeum, ut ſic pedes quinq; dactylici conſtruantur. Eſt aũt penthemimeris τὸ μὴ πενθημιμερὴς*, id eſt quinaria, cum ſyllaba in uerbo ſupereſt poſt pedes duos:*

Arma *uirumq́; cano.*

Hephtimimeris, τὸ μὴ ἑφθημιμερὴς*, cum ſit hoc poſt tres pedes,*

Mneſthea Sergeſtumq́; *uocat.*

Sed in alijs uerſuum generibus metra duplicatis pedib. procedunt, ut in Iambico *eſt hoc* μονόμετρον ἀκατάληκτον*, id eſt, habet duos pedes integros,*

Peßima mane. Optume, odio es.

δίμετρον hoc: Verebar quorſum euaderet.

τρίμετρον: Obſequium amicos, ueritas odium parit.

τετράμετρον hoc: Quid faciam nunc? ſi tres uiri me in carcerem compegerint.

Atq; hactenus producti Iambici *uerſus exempla adduxiſſe ſatis fuerit, etſi grammatici* πενταμέτρου *quoq; formam adijciunt.* Illum *autem tetrametrum reperiſſe* Boiſcum *quendam* Cyzienum, ἐπίγραμμα *indicat, tetrametri* ἀκαταλήκτου, & καταληκτικοῦ, *quod legitur in* commentario Rufini *de metris* Terent.

βόϊσκος ὢ πὸ κυζικοῦ, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Boiſcus ille Cyzicenus ſcriptor omnis carminis
Verſus pedum octo repperit, Phœboq́; dedicauit.

Verùm *ad* καταλήξεις *reuertamur. Eſt igitur* καταληκτικὸς*, cũ deeſt quo minus uerſus cõpleatur, ſyllaba una:*

Date, mox ego huc reuertar:

Iam-

Iãbicus δίμετρος καταληκτικός. Sit enim reuertero, nã & hac forma uſi uerbo fuerũt, erit iam ἀκατάληκτος.

Si mihi perget quæ uult dicere, ea quæ non uult audi et. Trochaicus Archilochius, id eſt τετράμετρος ſeu quadratus καταληκτικὸς. Sit enim, audientur, erit Trochaicus τετράμετρος omnibus numeris abſolutus.

Hypercatalecticus uerſus eſt, in quo ſyllaba una abundat. huius exemplum de dactylicis adducunt,

Alloquitur Venus. O qui res hominumq; Deorumq;.
Iactemur doceas, ignari hominumq; locorumq;.

Verùm diligentiores in dactylico genere ὑπερκατάληξιν & βραχυκατάληξιν, nominari oportere negant, ſed κατάληξιν εἰς συλλαβὴν, aut εἰς δύο. Ex Plauto Priſcianus δίμετρον Iambicum ὑπερκαταληκτικὸν eſſe hũc uoluit, Hoſpitio publicitus accipiar. de quo nos dubitare, neq; hanc diſtinctionem ſeruaſſe, antè indicauimus.

Βραχυκαταληκτικὸς dicitur, cum toto pede deficitur uerſus integritas. Vt ſi μονόμετρος ſit, Eheu mihi, βραχυκατάληξις erit, Eheu. Priſcianus δίμετρον hunc retulit, Ita peregrè aduenieus: de quo ſuprà. Et iam faßi ſumus, hæc neque obſeruari, neq; exquiri potuiſſe à nobis, & haud ſcio an à nullo poßint omnium qui nunc uiuunt, in tam tenui ſcientia Muſices antiquæ, & hac deprauatione exemplorum.

Sciendũ aũt, Comicos Latinos, prologos et primas ferè ſcenas, pertexuiſſe Senarijs Iãbicis, qui ſunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι. Plautus tamen & in Amphitruone & alibi, in primis ſtatim ſcenis numeros mutauit. A trimetris autem ad longiores peruenerunt, ut τετραμέτρους,

Mirabor hoc ſi ſic abiret, & heri ſemper lenitas.

Ne forte imprudens faciã quod nolit, ſciens cauebo.
Quid? credebas dormienti hæc tibi cõfecturos deos?

Nec non concidiſſe reperiuntur uerſus, ut ſubijcerent longis breuiores. Nec non confudiſſe numeros, ut miſcerentur trochei & iambi. de quibus iam ſatis dictũ. Hoc autem ſilentio prætereundũ non eſt, in Iambico & Trochaico creticũ nõ eſſe: quãuis de Archilochij Trochaici ſtructura ille præcipiẽs, Rufinus ut ferũt, hoc ſcripſerit,

Creticon Archilochus ſupra caput addit Iambi.

Nã cretici ratio, qui eſt, ut diximus, ἀμφίμακρος, temporum quinq;, ab hoc genere eſt alienior. Itaq; quidam inculcantes in Iambicos & Trochaicos uerſus hunc pedem, audiendi, mea quidem ſententia, non ſunt. Et ſi ut uerum fatear, hoc dixiſſe illi uidentur, in his uerſib. reperiri uerba in quibus creticus inſit: ut, Edepol, & ſimilia, de quibus poſtea. Non quòd in uerſu iã ſit creticus, ſed quòd in illis eſſet uerbis, ſi totis ſyllabis planè proferrentur. Hæc ſententia eſt, ut puto, Scaligeri, uiri eruditi, qui de uerſibus Comicis edidit breuẽ libellũ: itaq; in eo requiſiuimus nonnulla, quæ minus explicarẽtur nobis, & uiderentur ſecundum Platonem, τοῦ πατρὸς δεῖσθαι βουτοῦ, αὐτὰ οὔτ' ἀμύνασθαι, οὔτε βοηθῆσαι δυνατὰ αὐτοῖς. Ad numeros uerſuum comicorum expediendos aſſumenda ſunt ea quæ Græci πάθη nominant λέξεως, quib. & dilatantur & contrahuntur dictiones. Idq; nimirum tũ loquentes communiter fecerunt, ut pluribus aut paucioribus ſyllabis uerba enunciarent, quàm nos deſcriptura, aut ſecundum rationem uerſuum nobis notam. De qua re nunc etiam breuiter quædam memorabimus.

Dilátantur uerba diſſolutione, ſeu diuiſione ſyllabarum,

rum, quæ eſt διαίρεσις. Vt iam, δυοσυλλάβως. Quod et Scaurum Rufinus ait indicaſſe, qui diceret in Pſeudolo, Nunc iam, eſſe tres ſyllabas, & Plautum diuiſiſſe Iam in duas. Tale eſt indicatũ in eadẽ fabula, Malai, τρισύλλαβον. Sic & quis, qui, quæ, & caſus horum diuiſerunt:

Qui per uirtutem peritat, non interit.

Legendum, Qui, δισυλλάβως. ſi eſt uera ſcriptura, de quo quæretur illo in loco. Sed exempla in Plauto iam multa indicauimus. Apud Horatium lib. II. Carm.

Ramis quo obliquo laborant.

Eſt enim uerſus Iambicus dimeter ὑπερκαταληκτικός. Huc pertinet calim, pro clàm, ut Feſtus ait. Et in diuerſis uerbis hiatus uocalium. Quod tamen non feciſſe Latinos, niſi poetas quoſdam, Cicer. in Oratore ſcripſit, qui ut uerſum facerent, ſæpe hiauerint. Ennium ſemel, Scipio inuicte. & ſe,

Hoc motu radiantis eteſiæ in uada ponti.

Sed ſunt & apud Maronem huius diuiſionis exempla,

Et longum formoſe uale, uale, inquit, Iola.
Inſulæ Ionio in magno.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam.
Glauco & Panopeæ & Inoo Melicertæ.

Apud Horatium. lib. I. Carm.

Oßibus & capiti inhumato.

Apud Lucretium, lib. V.

Paßim per cœli uoluunt ſe inania templa.

Et libro ſecundo,

Viuam progeniẽ qui in oras luminis edant. Vbi tamen et διαίρεσις eſſe poteſt dictiõis Qui. ut & in hoc uerſu,

At contrà quæ amara atq; aſpera cunq; uidentur.

Et

Et apud Horatium rurſum lib.III.Carm.

Iam uirum expertæ malè ominatis parcite uerbis.

Et Sermon.lib.1.Satyra 9.

Si me amas inquit,paulum hic ades.

Item cùm retinetur litera m, αὐένθλιπτ@, tum colliſio uſitata fieri non poteſt,ut:

Inſignita ferè tum milia militum octo.

Vt Horatius,Nil opus eſt te circumagi. Lucret.lib.III. Namq; papauerum aura poteſt ſuſpenſa,leuiſq;.
Et libro 1.Corporum in plumbo eſt.
Et rurſus,Plus in ſe corporum eſſe.
Et mox,Corporum augebit numerum.
Et paulo pòſt,Corporum atq; loci. Et rurſum lib. III. Sed dum abeſt quod auemus.
Et libro II. Cæteraq; cum ita ſunt.Et hoc, Nam quod fluidum eſt. Atq; etiam uocalium concurſum & contractionē interpoſita litera d, prohibuerũt. Sicut in redeo, redhibeo,redarguo,redoleo,reduncus. & in diuerſis dictionibus,mederga,tedhoc noctis.Ita longæ illæ manẽt, ſi natura longæ ſunt.De his exempla quædam Plautina promiſcuè ponam,pauca illa quidem,ſed de quibus ſimiles loci facile explicari poſſe uideantur.

Iam hi ambo & ſeruus & hera fruſtra ſunt duo.

Iam hi am,eſt Iambus,uel ſoluta dictione Iam,uel retenta litera m.

Quot pondo tedeſſe cenſes nudum, non edepol ſcio.
Ille opere foris faciundo laſſus noctu aduenit.
Quanquã inuita te carebo, animũ ego inducã tamẽ.
Te heri me uidiſſe,qui hac noctu in portum aduecti ſumus.

Ble-

Blepharonem ut re diuina facta mecum prandeat.
Nimis bella es atq; amabilis, & ſi hoc eſſet meũ hodie.
Qui uerſus omnes διαιρέσει *explicari poterunt.*

Contractio ſyllabarũ crebrior eſt. Et apparet, fuiſſe linguã Latinã magis aptam ad uoces cogendas, quàm diſtrahendas. Hoc illud etiam indicat, quod retulit Cicero lib. II. de Diuinatione: Cum M. Craſſus exercitum Brunduſij imponeret, quidã in portu caricas Cauno aduectas uendẽs, Cauneas, clamitabat. Dicamus, inquit Cicero, ſi placet, monitũ ab eo Craſſum, caueret ne iret. Sonuiſſe enim apparet illud, cauneas, contractũ hoc, caue ne eas. Hæc indicãtur nominib. συναλοιφῆς *et* ἐπισυναλοιφῆς. *Synalœphe, quæ et* συναιρέσις *propriè uocatur, cũ duæ ſyllabæ in unam ueluti cõfluunt. Vt Phæthon* δισύλλαβον, *pro triſyllabo Phaethon.*

Cum te deiectum crudeli fulmine Phæthon.
Nam a & e in lingua Latina diphthongũ faciunt. Deinde, proinde, δισυλλάβως *Lucret. Tandem coierunt* τρισυλλάβως. *Nihil, nil: Mihi, mi: mehe, me: ſi uis,* κατ' ἔνθλιψιν, *u, p cõſonante, Sis. ille & terris, illet. Sceptroq; inniſus eburneo. Eburno. pendent lychni laquearib. aureis,* δισυλλάβως.

Libra diei noctisq; pares ubi fecerit horas.
Diei, uel die, duabus ſyllabis.
Tale & rei, ὁμοιοτρόπως.

Sic Dij, Di ſunt: & ijt, it: perijmus, perimus. ἐπισυναλοιφὴ *autem longius patet, cum qualeſcunq; uocales contrahuntur, deq; duabus ſyllabis una fit. quod ſæpe nobis mirificè factum uidetur in lingua Græca & Latina, cũ in ſua fieri nemo miretur, quia minus conſiderat.*

Secundum autem diuerſarum linguarũ naturam diuerſitas in his eſt. Sed exempla ἐπισυναλοιφῆς, *ad quam quidem & ἐκθλίψις & συνίζησις referenda, hæc ſunt, fuit, una ſyllaba. Lucret. lib. V. Et ambiens multa peruſſit. Et, Et equorum duellica proles: ubi &* σύνθλιψις *eſſe poteſt, duel. Et, Et ſonitu ſterilia. Et, Nũc ſcio quid ſit amor. Sco,* κατ᾽ ἐπισυναλοιφὴν *legendũ, ut Diomedi placet. Sodes, ſi audes. Sultis, ſi uultis,* κατ᾽ ἔκθλιψιν. *Suam, ſã: ſuũ, ſũ: ſuis, ſis: eũ, im: eapſe, ea ipſa: ſapſa, ſe ipſa.*

Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit.
Virgines nam ſibi quiſq; domi Romanus habet ſas.
Quo res ſapſa loco ſeſe oſtentatq; iubetq;.

Tuus, tus. tua, ta. ſuæ, ſe. aut συνθλίψει μονοσυλλάβως, *ſicut ſuauis. Eſt & crebra* ἔκθλιψις, *& poſtea contractio. ut Amauerunt, decreuerat, commouerit: Amarũt, decrerat, commorit. Et apud Lucretium, Irritat uirtutẽ animi, pro irritauit. Sultis, pro ſi uultis,*

Pandite ſultis genas & corde relinquite ſomnum.

Omnino autem quo minus corriperetur pronunciatio, non obſtitit ueteribus, u pro conſonante: ut, Sine inuidia laudem inuenias. Eſt enim ſin inid. τρίβραχυς. *Audi ui, audij. Eliditur & literam, Multum ille & terris. Hãc colliſionem uocant. Etiam litera b, non obſtitit interdum contractioni ſyllabarũ: ut, abi,* μονοσυλλάβως *prolatum.* συγκοπὴ *eſt conciſio, cum ſyllaba diminuitur uerbum. Nis, pro nobis. ſcilicet, pro ſcias licet, capſis, pro cape ſi uis. Emem, pro eundem. Cette manus, pro cedite. Actæ non alio rege pueertiæ, pro pueritiæ.*

Euaſti? credo metues, doctusq; cauebis.
Vixet, cui uitam Deus & ſua dextra dediſſet.

Motus

Motus quoq; ſurpere debet.

Quæ me ſurpuerat mihi. Extritio aut propriè unius tantum literæ eſt, ut illa ἐκθλιψις literæ m, & literæ u, pro conſonante: & caldior, lamnæ, pro calidior, laminæ. iſthic, priore breui. ab oles, pro ab illis. antiqui enim litteram non geminabant, ut inquit Feſtus. qui & fenſtram dixere, quam poſteriores ξυσυλλάβως feneſtram. Senx, uel ſnex, pro ſenex. Edepol, Edpol. Virgines, Virgnes. Semine oriundi. Sed magis uniuerſum apud Lucretium, Semne & uniuerſum. Sic & in euenat, extrita i litera uidetur, ut apud Ennium, referente Nonio,

Senex ſum, utinam mortē oppetā priuſquā euenat.
Quòd in pauperia mea ſenex grauiter gemam.

Quin etiam initiales ſyllabas quaſi abſorbentes minus expreſſerunt. Sed ad extritionem reuertamur. Delicuit igitur in Latina lingua ſæpe ac multum in pronunciatione, littera s.

Samnis Spurcus homo uita illa dignus locoq;.
Formido quid ago, da Venus conſilium.
Pandite ſultis genas.
Puncto temporis reddant.

Huc referenda illa quæ à Cicerone memorantur, multimodis, uaſargenteis, palpet crinib. tectifractis: pro multis modis, uaſis argent. palmis & cr. tectis fr. Et illæ συγκοπαὶ, ſecundū quas tali, & ala extitit, de taxillis & axilla. & meū factū, exitium, pro meorum factorum, & exitiorum: quæ in quibuſdā uſitatæ admodum fuerunt, Deum, numū aureum, liberū. Quinetiam duorum uirorum iudiciū, aut triū uirorum capitalium, aut decem uirorū litibus iudicandis, ait ſe Cicero, dicere nunquam,

quomodo ergo? nimirum συγκεκομμένως, Duum uirũ, & trium uirum, & decem uirum. Item ſiet, ſit. E rep. pro ex. pomeridianas quadrigas, pro poſtmeridianas. His addantur ἀποκοπαὶ. Viden' Ain' Satin' Men' Mihin' de quibus abſciſſum eſt ne. Exin, dein, proin, amputato de. famul, pro famulus. Lucret.

Oſſa dedi terræ proinde ac famul infimus eſſet.

Volup, Animal, Exemplar, de quibus reciſum eſt e. illi, pro illic. Iam de productione & correptione uocalium multa dici poſſent. Fuit, fieri: extenta priore ſyllaba. Inclitus, ut ait Cicero, prima breui. Secundum hæc fiunt mirificæ colliſiones, eliſiones, detritiones, & cõpræhenſiones litterarũ ac ſyllabarũ, & pronunciatione uera, quã ſæpe nos non poſſumus coniecturis noſtris cõſequi, uerſus procedunt. in quib. ſcriptura nõ rarò, præſertim in dilatando, numeros non ſeruat. Sed nunc & eorũ, de quib. multo minus diximus, quàm dici potuiſſet, et tamẽ ſatis fuiſſe manifeſtũ iudiciũ uidetur, Plautina exempla afferamus, & ita tandem hanc quaſi commentatiunculam finiamus.

Similẽ rẽ ipſe in legẽ iuſsit eſſe Iuppiter. Aut corripitur, Eſſe, aut eſt κατ' ἐπισυναλοιφὴν, Similẽ, διοσύλλαβον.

Vt conquiſitores fierent hiſtrionibus.

Hiſtrionibus, κατὰ συνίζησιν. Niſi maluerit aliquis con quæſtores.

Qui ne quo placeret alter, feciſſet minus.

Qui ne quo, ſpondeus, pronunciatione mediam ſyllabã abſorbente.

Qui cum Amphitruone abiuit hinc in exercitum.

Et mox,

Nunc hodie Amphitruo ueniet huc ab exercitu.

Hinc in exc. & huc ab exc. ſpondei ſunt pari ratione conciſionis, in breuitate ſyllaba quaſi euaneſcente.

In tabernaculo: id quidem hodie nunquam poterit dicere.

Simpliciſſimum eſt, ut legatur, tabernaclo.

Quid in tabernaclo feciſti? uictus ſum, ſi dixeris.

Quid in ta, Trocheus. Vel ut notauimus, Quid in, κατὰ διαίρεσιν anapæſtus, &: taberna, Spondeus.

Ridiculi cauſſa, uel hunc rogato Soſiam.

Nam hanc ueram lectionem puto: uel hunc μονοσυλλάβως pronunciandum.

Quin, ſi tu uoles, domi ſerui qui ſunt caſtrabo uiros.

Dmi, μονοσυλλάβως κατ᾽ ἐπισυναλοιφὴν.

Portitorum ſimillimæ ſunt ianuæ lenoniæ.

Aut portitum κατὰ συγκοπὴν, , aut ſmillimæ, κατ᾽ ἐπισυναλοιφὴν pronunciandum.

Da meus ocellus, da mea roſa, da mi anime, da mea uoluptas.

Aut ſic, Da mus ocel. Aut ſic, da ma roſa, et mea uoluptas. o, breui abſorto δισυλλάβως. uel ma uoluptas.

Lenonis hæ ſunt ædes, malè iſtis eueniat.

Pronunciandum euenat κατ᾽ ἔκθλιψιν litteræ i.

Credam Pudor ſi cuipiam lenoni ſiet.

Pronunciandum cuipiam δισυλλάβως κατὰ συναίρεσιν & συνίζησιν.

Voltis' ne oliuas aut pulpamentum, aut capparim?

Oliuas δισυλλάβως, ut notauimus, & ut in uerſu Lucilij Maluiſti τρισυλλάβως, in Proœmio primi libri de finibus. uel potius, Voltine, extrita litera s. Quis

autem ſcit utra potius pronunciatio actori arriſerit?

Fateor:abi deprome.age tu interea huic ſomnium.

Abi de,Spondeus:huic ſom,ſpondeus.κατ' ἐπισυναλοιφὴν & συνίζησιν,

Superſtitioſus hic quidem eſt,uera prædicat.

Quidem eſt ue,Spondeus κατ' ἐπισυναλοιφὴν: hæc colliſio creberrimè occurrit in comicis uerſibus.

Qui periurum conuenire uult hominem,mitto in comitium.

Ni re uult,ſpondeus,eliſa u,pro conſonante.

Quo is homo inſinuauit facto ſe ad te?perDionyſia.

Quo is ho,τρίβραχυς κατὰ διαίρεσιν ſyllabæ quo.

Nam eum pater eius ſubegit:nunc mea mater irata eſt mihi.

Nam eum pater,dactylus eſt.eius ſub:aut dactylus liqueſcente,S.aut Trocheus,κατ' ἐπισυναλοιφὴν, ut eius, una ſit ſyllaba.

Huius quæ locuta eſt quærere aiebas, filiam. Huius, κατ' ἐπισυναλοιφὴν,una ſyllaba:ſicut,aiebas, duæ.

Ego ad anum recurro rurſum.Lampadio obſecro. Aut eſt,ego ad anum, anapæſtus pronunciatione e initiale colliquante:aut etiam prioris hoc cum uerſus ultimæ dictionis finali ſyllaba,ut ſæpe fit,collidente.

Videar fortaſſe in his alicui nimis diu morari,& non neceſſariam,uel etiam inutilem operam conſumere. Verun tamen ego de re neq; prorſus negligenda & digna liberalibus ſtudijs,& à pleriſq; tractata negligentius, dicendum hoc loco aliquid putaui:quod quidem eiuſmodi eſſe confido,ut qui fortè uoluerint in his uerſari accurratius,mediocrem occaſionem exercendi ſtudium ſuum habituri eſſe

ri eſſe uideãtur. Etſi aũt hæc ſunt præcipua, per quæ poterunt numeri uerſuũ comicorũ expediri & quaſi exolui, tamen & alia quædã ad hanc curã aſſumenda ſunt, & in primis ſyllabarum productio, quæ ἔκτασις, *ac correptio, quæ* συστολὴ *nominatur. Fit autem* ἔκτασις, *uocali interdũ producto natura breui: ut fuit, & fieri, quod ſuprà retulimus. Interdum geminata conſonante, ut relligio, redduco, repperit.* συστολὴ *autem, ſyllaba correpta: ut omitto, & reicio, &* συναιρέσει *reicio. ut,*

Tityre paſcentes à flumine reice capellas.

Ita putatur ἐκτεταμένον, Vitam *dederitis in undis. &* Tranſieritis *aquas. Etſi quibuſdam natura flexionis poſtulare uidetur, ut in huiuſmodi uerbis, ri, ſyllaba producatur, & illa corripiatur* κατὰ συστολὴν. *Hæc & ſuperius indicatorum* παθῶν, *de* Homero *etiã nunc quædam demonſtrabimus,* Ιλ. σ.

υἱεῖ ἐμῷ κλυτὰ τεύχεα δόμεναι παμφανόωντα.

Eſt enim δόμεναι, *quaſi* δόμναι, *ſicut abietibus, & ariete, & parietibus. & hoc* Ennianum:

Capitibus nutantes pinus, rectaſq́; cupreſſos.

In quibus tamen συλλήψεις *ſunt, pronũciato i, pro conſonante, ſicut hoc uerſu* Οδ. γ.

πόλλ' ἐπιμηρὶ ἔθεμεν. *Eſt enim* μηρὶ ἔθε, *dactylus.* νῦν δ' αὖτέ με φίλε ἀθήνη: *uel ut alibi,* φίλαι ἀθήνη. & ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο παλλὰς ἀθήνη, *pronũciandum enim quaſi gemino* λλ, *ut* φι *longum fiat. Sicut* Ιλ. β.

ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι.

Quaſi ἀππ. *Tale & illud* ἄρες, *quaſi* ἄῤῥες *eſſe uidetur. Ita &* φιλομειδὴς ἀφροδίτη, *habet* λο *ſyllabam productam. Et hic uerſus ſimiliter pronunciationis productio*

ne ſuſtentatur, ιλ.γ.

αἰδοῖος τέ μοι ἐσσι φίλε ἑκυρὲ δεινός τε.

Nam & aſpiratio breuis uocalis pronunciationem remoratur, & ῥέα, *eſt quaſi* ῥέδδει. *ſicut* ἔδδεισε δ' ἐλέγη. *Rurſum* ιλ. έ.

καὶ νύ κεν ἔτι πλέονας λυκίων κτάνε δῖος ὀδυσσεύς.

Etſi poterat facere κ νύκ' ἔτι πλέονας, *tamen illud maluit, nimirum pronunciatione uerſum expediente, quatuor breuibus ſyllabis unam longam & duas breues ſonantibus. ſicut* Οδ. ζ.

καὶ τότε φαιήκων ἐς πόλιν ἵμεν ἠδ' ἐρέεσθαι.

Eſt enim πόλιν ἵμεν, *dactylus non ſyllabis, ſed ueteri pronunciatione, quam nos exprimere lingua aliena nõ poſſumus.* Hoc loco in mentem mihi uenit uerſus quem Scaliger adduxit ex Euripidis Oreſte, in quo eſſet ἐπισυναλοιφή,

αὐτουργὸς. οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι πόλιν.

Sed nos & in editis ab Aldo exemplis & in explicatione reperimus σώζουσι γῆν. *Hoc igitur relinquamus.* ιλ. ύ.

μόρσιμον δέ οἱ ἔστ' ἀλέασθαι.

Vbi manifeſta eſt συγκοπή, *& illud* μόρσιμον *quaſi* μόρσμον. *Sicut & in hoc,* ιλ. ώ,

ἑκτορ μὲν δὴ λέξον γόρον φίλε.

Eſt enim planè, γρον φίλε. *Quemadmodum &* Οδ. κ.
μήδ' οὕτω φίλον διῒ πατρὶ γένοιτο. *ubi* φίλον *eſt quaſi* φλον. *Iam in hoc* ιλ. β βωμοῦ δ' ὑπαΐξας, *συναίρεσις eſt.* ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε. ιλ. ά. *cum ſit primus pes* ἀμφίβραχυς *alienus carmine Heroico.* θεραπεύεται τὸ μέτρον συνιζήσει, *ſecundũ Euſtath.* ὡς ὁ, *producta ſyllaba* ὁ. *Ariſtoph.* εἰρήνη, οἱ γεωργοὶ τοὔργον ἐξέλκουσι κἄλλος οὐδείς.

Δεῖς. οἱ γεωργ. ſpondæus συνίζησις. Ιλ ξ. ὤλεσεν δὲ ἐν πλυν-
ρῶνι. Heſiod. νείκεα καὶ δῆριν ὀφέλλειν.

ιλ. autem ω. in hoc,

χωόμενος ὤ τινι δήπω ἀδελφεὸν ἔκτανεν ἔκτωρ.

συνίζησις.

In hoc uerò ιλ. θ.

ἠὼς μὲν κροκόπεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν.

Et hoc, ιλ. β.

πολυστάφυλόν θ᾽ ἱστιαῖαν.

Et hoc ιλ. ε.

ὅστ᾽ ὦκα ῥέων ἐκέδασσε γεφυράς.

Et paulo antè,

ὅς ῥα καμάνδρου,

ἀφήτης ἐτέτυκτο.

Et hoc ιλ. η.

σὸν δήτοι κλέος ἔσται ὅσον ἐπικίδναται ἠώς.

Et hoc οδ. ε.

κλῦθι ἄναξ ὅστις ἐσσί.

Et hoc οδ. λ.

καὶ ῥ᾽ ἔτεκεν δύο παῖδας, ἀμφίονά τε ζῆθόν τε.

παῖδας ἀμφ. ſpondeus liqueſcente littera σ, ut in ſupe-
rioribus uerſibus omnibus curſui hæc numerorum ob-
ſtaret, niſi remoueretur pronunciatione.

Nã ſi uerſib. aliquis alienos pedes, qui ſunt proceleu
ſmaticus, & creticus ſeu ἀμφίμακρος, aut neſcio quos
alios inſerit, cũ conſtet heroici carminis proprios pedes
eſſe, Dactylũ ac ſpondeũ. Iambici, Iambũ, Spondeũ &
ſpondeo æquales. Trochaici, trocheum & ſpondeũ &
huic æquales, & alios alius generis. Illũ igitur qui admi
ſcet alienos, non audiendũ putamus, corrumpentẽ car-

minis modos, & numerorum rationem diſſoluentem. Sed pronunciatio hæc omnia quondam nullo cum negotio & ſine omni inſuauitate explicuit. Quare non aſſentior, neq; Plutarcho, qui Homerũ ſtudioſum bonæ narrationis, compoſitionem neglexiſſe ſcribit, & primum ſtatim uerſum ἄμετρον *extuliſſe,*

μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληιάδεω ἀχιλῆος.

Non enim ille ita extulit ut Plutarchus, multo minus ut nos, ſecundum perſcriptas litteras: neq; Scaligero inſulcienti creticos in Iambicos modos. Etſi ad hoc delabitur ut uoluptas, anapæſticam uelit eſſe dictionem: id quidem melius, ſed ille συγκοπαὶ *pronuntiationis rectius expediunt numeros, mea quidem ſententia, & antiquitate teſte, cuius unum etiam nunc exemplum adducere uiſum, Heſiodi,* ἄσκρῃ χεῖ μα κακῇ, θέρει δ' ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ, *eſt enim* θρεῖ & λῃ. *Sed de hac re, cum tantum iã uerborum fecerim, plus quidẽ quàm initio inſtitueram me facturum eſſe, nunc deſinam, & hæc noſtra iudicio aliorum ſubmitto: & quod reſtat, obſeruationem & curam harum rerum diligentium ſtudio committo. Quantulamcunq; autem operam hanc induſtriæ meæ cupio omnes boni conſulere, quod bonos & bonarum artium cupidos ſcio eſſe facturos: ij enim neq; ullam in literis exquiſitionem nimis paruam & futilem ducunt, neq; hos conatus indicij noſtri poterunt deſpicere:*

περὶ δὲ τῶν ἄλλων, οὐ φροντὶς
ἱπποκλείδῃ.

IOACHI-

IOACHIMI CAMERARII IN Amphitruonem annotationes.

HVius comœdiæ argumentum eſt in granditate quadam admodum ridiculum. Traduxit enim poeta Tragicum argumentum in ſcenam comicam. Atque eſt fabula illa nota, Iouem adamaſſe Alcumenam, quæ eſſet nupta cum fratre patruele Amphitruone. fuit enim, ſecundum poetas, Iouis & Danaes filius Perſeus, & cum hoc nupta Andromeda Cephei filia. Horumq; filij Alcæus, Stheneleus, Meſtor, Electryon, & filia Gorgophone. Alcæi autem filius Amphitruo, & Electryonis, Alcumena ex filia Pelopis, quam fuiſſe aiunt appellatam Lyſidicen. alij Alcumenẽ fecerunt filiam Amphiarai & Eriphiles, ut Pauſanias ſcripſit. Cum autem interfeciſſet Electryonem, qui Mideam tenuerat, Amphitruo contulit ſe cum uxore Thebas, deſponſa quidem ſibi, ſed cui promiſiſſet iuratus, ſe prius uelle ulciſci cædem fratrum ipſius, quàm nuptijs eius potiretur. ij fuerant à Taphijs, qui & Teleboæ, interempti. Aduerſus hos profectus, qua nocte bello confecto redijt, ea concubuerat, ut poetæ tradidere, cum Alcumena Iuppiter, de quo Hercules. Concubitu autem uiri Iphicles conceptus fuit.

Sed Plautus tempora & rem commiſcuit, & fabulis inuoluit. Nam apud hunc decimo menſe poſt nuptias reuertitur Amphitruo, relicta grauida domi uxore. Iupiter autem tribus noctibus in unam congeſtis, qua nocte Thebanum ſolum attigit Amphitruo,

eadem ex Alcumena uoluptatem capit, quam prægnantem feciſſet menſe antè ſeptimo, atque ea uno poſtea partu, & humanum & Iouialem fœtum eniſa fuit. Hæc autem habent inſertas uarias ac multiplices ludifications, & fruſtrationes & errores, quibus cum ſingulari feſtiuitate dilatatur argumentum. Et eſt fabula hæc in primis referta facetis dictis atque iocis. Res agitur Thebis. Prologus eſt Mercurius, ſeruili perſona ac habitu, quaſi Soſia Amphitruonis. Quod nomen boni ominis à ſalute ac conſeruatione factum eſt: Σωσίας ἀπὸ τοῦ σώσασθαι, ut Λυσίας ἀπὸ τοῦ λύσασθαι, Τισίας ἀπὸ τοῦ τίσασθαι. Amphitruo autem eſt Ἀμφιτρύων: à circumfluētia laborum. Alcumena Ἀλκμήνη, quaſi Ἀλκιμήνη, facto nomine de ui & uehementia fortitudinis ſeu roboris. Blepharo, βλεφαρίων, à palpebris, παρωνύμως. Bromia, à fremitu, qui eſt βρόμος, quo nomine & genus quoddam frumenti appellatur: & βρόμιος eſt Bacchus. Theſſalæ uerò gentilis eſt appellatio. Et Creo eſt κρέων, id eſt regnator.

In argumentis.

Annotabuntur à me non omnia quidem illa quæ in noſtra editione aliter, quàm in antè euulgatis libris leguntur. nam quis eſſet modus harum notationum futurus? Sed ea duntaxat notabimus, in quibus aut mutationem aliquam noſtram, aut temeritatem aliorum indicandam, aut explicatiunculam adhibendam, aut de ſcriptura ueteri diſputandum putauerimus: in reliquis, quemadmodum & prius, ita nunc petimus noſtræ fidei credi, deuinctæ illi quidem ad exemplum noſtrum uetus. ita ut cum hoc illam periclitari neceſſe

ſit.

ſit. Sed de his ſatis. Duo *ſunt huius comœdiæ argumenta, à poſterioribus, ut apparet, compoſita: quorum unum habet* ἀκροστιχίδα *nominis fabulæ.* In *quo* Al*cumenas quidem reliquimus, ſicut ſcriptum repereramus: etſi duriuſculè cadit genitiuus hac forma, & mendum, ac uerum eſſe ſuſpicor,* Alcumenæ: *quamuis ueteres hac forma crebrò uſos eſſe ſciam.* V*erſus argumentorum & prologi ſunt Senarij iambici, id eſt,* τρίμετροι ἀκατάληκτοι.

Pag. 1. Omnem rem.) *Omnem rem,* κατ' ἐπισυναλοιφὴν *Spondeus. Atq; eſſe, o, initialem propter nominis deſignationem oportet.*

4 Hiſtrioniam.) *Hiſtrionia, ſicut Alimonia, Querimonia. alij ſcripſere* Hiſtrionicam, *quæ forma eſt Græca, ut* ῥητορική, ἀρχιτεκτονική. *tales enim ſunt apud Græcos appellationes artium, facultatum, ſcientiarum. ſed nos ueterem ſcripturam retinuimus.* Quod *ſequitur,* Etiam *hiſtriones anno, cum in proſcenio hic* Iouem *inuocarunt.* Hoc *igitur cur & quomodo mutarint aliqui ipſi uiderint.* Significat *autem, in aliqua fabula ſingulariter* Iouem *fuiſſe inuocatum, & fortaſſe euentu quopiam memorabili, idq; ante annum.* Res *uerò tum omnibus nimirum nota fuit.* Et *eſt in lingua* Latina *non inuſitata talis locutio. et* Plautus *ſimiliter* Menæchmis, Emi *iſtanc anno, uxori meæ.*

5 Natus Argis.) τὸ ἄργος Græci: *ut* Horatius, Aptū *dicet equis* Argos, ἄργος ἱππόβοτον. Et Argi, *ſicut* Puteoli, Harpi. *ut* Maro, Dulces *reminiſcitur* Argos. *et,* Omnia *ni repetāt* Argis. *et,* Ferus *omnia* Iuppiter Argos Trāſtulit. *Sed in* Nonio *legitur, quòd* Argus *ſit* Argiuus

giuus, κατ' ἐναλλαγὴν, ut Dardanus, Dardanius. *&* *adducitur hic uerſus,* Natus Argus ex Argo patre. *Et ſi tamen uera eſſe ſcriptura poteſt, ut in ueteri eſt,* Argis.

Electri F.) *Electryo perhibetur fuiſſe pater Alcumenæ, id eſt* ἠλεκτρύων: *quod nomen nunc Plautus* μετέπλασεν, *& fecit ut eſſet* ἤλεκτρος.

Thebano poplo.) κατὰ συγκοπὴν *pro populo, quemadmodum & paulo pòſt.*

Grauidam Alc.) *Aut legendum Alcumenã hanc* δεικτικῶς; *nempe in argumento, aut* ἄνευ ἐκθλίψεως. *Et in ſequẽte mox uerſu, pater,* μονοσυλλάβως. *& mox, Dum ille quacum, in ueteri legitur illam, ſed ne ſic quidem numeris integris, niſi dum, retineat m inelifum. fortè ſcribendum, Dum ille illa quacum uult, tranſpoſitis uerbis, id eſt, cum illa qua uult.*

Cum ſeruili ſchema.) *Priſcianus libro ſexto, & Nonius hoc loco Plauti adducto, ſchema etiam in genere fœminino reperiri docuerunt. Similiter & glaucomam ex Plauto notauerunt. Sed hoc etiam uidendum, quomodo prior correpta fuerit, cum ſit Græcum* σχῆμα. *Sunt tamen, qui etiam* σκάζοντας *uſurpaſſe comicos tradant: de quo fortaſſe alibi paulo copioſius diſſeremus.*

7 Qui me alter.) *Huius ſcenæ primi uerſus aliquot ſunt* τετράμετροι, ἀκατάληκτοι. *Sed poſtea numeri confunduntur, ita ut de aliorum uerſuum ratione quid certi afferam, non habeam. Nec me fugit, in fragmento Priſciani de carminibus comicis, quandam diſtinctionem horum exponi: ſed nos ſecuti uetus exemplum, reliquimus in his illam* σύγχυσιν *pedum, quam etiam ue-*

teres

teres in ſcriptis comicis notaſſent, præſertim cum fruſtra in explicandis & collocandis talibus uerſibus occupaturi nos, & operam quoq; luſuri fuiſſemus. Plerique tamen τετράμετροι, clauſulæ etiã quædã manifeſtæ ſunt.

Potiuit.) Ita in noſtro exemplo ſcriptum reperi. Senſus autem eſt, Mercurio à Ioue patre ſeruitutem impoſitam. Etſi hæc eſt figura ſermonis nobis ignotior. Immeritò autem queri ait Soſiam ſeruum, Daui ſerui filium, qui uerna natus eſſet. Quod ſequitur, Sum uerò uerna uerbo: ſi ſimpliciter legatur, ut à Mercurio pronuncietur, accipietur ſimpliciter, non reuera, ſed ſimulatione eſſe ſeruum Mercurium. Ponitur autem uerbum contra rem in utraq; lingua. Sed ut promiſſam fidem præſtem, non debui reticere, in noſtro codice expreßis literis legi, uerbero, non uerbo. & hæc in uetuſtioribus expreßis libris ſcriptura etiam inuenitur. De quo mihi in mentem uenit, tacitè hiſtrionem hæc reſponſitare: indignabundum quòd ab altero qui Mercurij perſonam gereret, uerna fuiſſet appellatus. Sed nihil habemus certi. Quod ſtatim ſequitur, Nunc uerò mihi in mentem fuit: adducitur à Gellio, ſed deprauatè. In noſtro planè ita eſt ſcriptum, nunc uerò. Sed Nonius, numero legit.

8 Occillet.) Id quod reperi, reliqui: etſi non repudiandum iudico quod quibuſdam placuit oſcillet.

Vt ſalui potiremur hoſtium.) Sed uera lectio eſt, Salui potiremur domi: ita enim propemodum & in noſtro libro legitur, & planè Nonius ita retulit.

Abituros Argos.) In noſtro libro legitur, Agro, non Argos. Quam ideo non improbo ſcripturam, quod

Amphi-

Amphitruo etſi Argiuus, tunc tamen imperator fuit populi Thebani: & copias reduxiſſet Thebas, non Argos. Niſi accipiat aliquis Argos, Argiuos, & copiæ tamen Thebanæ fuerunt.

10 Nunquam etiam.) *Ab hoc uerſu omnes in hac deinceps ſcena ſunt Trochaici Archilochij, id eſt, τετράμετροι καταληκτικοί.*

Hæc illic.) *Si legamus Pugna pugnata, procedēt numeri: aliàs ſunt impeditiores, & explicandi illis figuris ſeu πάθεσι dictionum. ut ſit, Hæc illi eſt, & non fiat alicubi colliſio.*

Nunc pergam.) *Pergam integrum legendum, et domum μονοσυλλάβως, ita numeri conſtabunt.*

Nocturnum.) *ἀνεκθλίπτως, aut διῃρημένως, obdormiuiſſe debrium.*

11 Virgiliæ.) *Sanè Vergiliæ ſcribuntur in noſtro libro, & Sextus Pōpeius ait Vergilias appellatas, quòd earum exortu uer finiatur, & æſtus incipiat. Et ſunt contentiones mihi notæ de nomine Vergilij. Mihi tamen Virgiliæ, & mutatione Vergiliæ, itemq; Virgilius uidetur eſſe, à uirga, uirgula, uirguliæ, & Virgulius: & uſitata mutatione Virgiliæ ac Virgilius. Mox autē conducto malè, id eſt magno, inquit Donatus: ut ſit ſimile illi, Malè conciliate.*

12 Nunc iam ergo ſic uolo.) *Aliqui, ſic colo. quidam emendauit, ſic loco. ſed illa eſt uera lectio, ſenſu ſimplici & manifeſto.*

Hei num nam.) *De lituris & notis exempli noſtri, ſubijt ſuſpicari ueram eſſe lectionem: Hei mihi, quia nam ego oboluit? id eſt, cur, aut quo pacto? ut, Hei quia*

nam

nam tanti cinxerunt æthera nimbi? & Ennij *hoc,* Hei *quia nam dictis noſtris ſententia flexa eſt?*

13 Verbero.*)Poſſunt rectè hæc ita legi continuè, ut à Mercurio dicantur, uſq; ad illum locũ, quid eo opus?*

Auferere.*)Si legatur, abibis hinc: uel, ego ſi, uerſus integer fuerit: aliàs explendi numeri* διαιρέσει*, niſi ſi Iambum admittendum putauerimus, qui & apud* Ariſtophanem *in hoc genere uerſuum reperitur.* Ego *ſanè non facilè à ſcriptura ueteri receſſero, præſertim cum talia multa in* Plautinis *occurrant: ut paulo pòſt,* Aduenisti audaciæ columen, conſutis dolis. *Vbi tamen ſi audaciai ſcribas, antiquis uſitatiſſimæ formæ genitiuum, numeri pleni ſint.* Quod *autem ſuperbum interpretatur hoc loco* Nonius*, mortuum, ipſe uiderit quæ hæc ſit interpretatio.* (τῶν χαξεῖ.

15 Tuus.*)Vt* Euripid. *Electra,* πάντως' εἰμὶ σὴ, ἱερεῖτ

Eloquere quid ueniſti.*)* Re *quid ue, anapæſtus, liqueſcente u pro conſonante.*

Sociennum.*)* Hoc *ita expreſſe in ueteri perſcriptum non fuit, ſed mihi tamen uerum uidetur. ſuſtentandus autem uerſus* διαιρέσει.

16 Tu me uiuus.*)Ita quidem & in antiquo libro.* Sed *uera lectio haud dubiè eſt,* Tu *me uiuo.*

Sed quid ais.*)*Vtrũq; *quid* διουλλάβως *pronunciandum, ut numeris ſuis uerſus abſoluatur.*

In tabernaculo.*)In taber,* Spondeus*, abſorbta litera a.* Et *mox:* Quid *in tabernaculo, uel potius tabernaclo, anapæſtus & ſpondeus.*

Impleui hirneã.*)* Vbiq; *planè ſcribitur in noſtro libro hirnea, in* Nonio *cirnea legitur: ſed & hirnea*

uaſis

uaſis nomen apud Catonem. neq; Cirneam, cuius quidẽ originem Græcam eſſe quidam uolunt, alibi reperio.

18 Simileſt.) *Antiqua colliſio, ſimilis eſt. mox Naſum uel labra, hæc eſt ſcriptura in ueteri libro. in* Nonio *tamen naſus legitur. etſi idem, hoc nomen in neutro genere reperiri probat.*

Collum.) *Ita in ueteri noſtro. Sed in* Nonio *collus, in genere maſculino.*

Omnem imag.) *Alciatus Parergis, ad imagines nobilium, quæ in funeribus præferebantur, hoc retulit.*

Caluus capiam pil.) *Qui liberi fiebant, inquit* Nonius, *ea cauſſa calui erant, quòd tempeſtatem ſeruitutis uidebantur effugere, ut naufragio liberati ſolent.*

Bene proſpereq́.) *συγκοπῇ hic uerſus expediendus. ſunt autem huius ſcenæ omnes, Senarij Iambici, id eſt, τρίμετροι ἀκατάληκτοι.*

19 Et ne in ſuſpicione.) *pi longa, ut ſæpe & in hoc, & in* Terentio.

Suamq́ culpam.) *Legendum in mortalem. adducitur hic uerſus à* Nonio, *ubi ait ſignificare uerbum, transferre, euadere.*

20 Cum Alcumena.) *In hoc uerſu, ſi nihil deeſt uerborum, crebra διαιρέσει ſuſtinendi ſunt numeri.*

Bene uale Alcum.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt* Tro*chaici Archilochij.*

Atq́ imperce.) *Manifeſta ſcriptura in noſtro eſt, neque obſcurus ſenſus. Iubet enim uicinam* Alcumenam *partui, parcere ſibi, & gerere diligentem curam corporis ſui, neq; quicquam laboris aut moleſtiæ illo tempore ſuſcipere.*

Non

Non adeſt ad exerc.) *e abſorptum fuit pronunciatione, ut ſuprà in prologo in exercitū, ab exercitu.*

Quàm blandè.) *Quàm* δισυλλάβως *legēdum.*

Ego faxim.) *Si nihil deeſt in hoc uerſu, aut ſunt commiſti pedes, aut eliſione ſuperſedendum eſt: quod quidem ubiq; annotare uiſum non fuit.*

Quam lectus ubi cub.) *Hunc eſſe genitiuum, ut cubitus, ſonitus, fructus,* Priſcianus *docuit lib. 6.*

Qualeſt.) *Annotauit* Nonius, *neutrum poſitum eſſe pro maſculino, ſed falſò. nam eſt hæc* ἐπισυναλοιφὴ *ueteribus uſitata, ut paulo antè ſimileſt, pro ſimilis eſt: ſic nunc qualeſt, qualis eſt.* In Nonio *autem legitur culeſt, mendoſè fortaſſe, omiſſa litera a.* Etſi *ut nunc in mentem mihi uenit, poſſunt hæc in neutro etiam genere* κατ᾽ ἐναλλαγὴν *ita facta accipi, & ſimilia apud* Græcos *multa reperiuntur.*

Cedas die.) *id eſt diei, nota* συναιρέσει. *Sed concedas ſi legeretur, eſſent numeri integriores.*

21 Quem pol ego.) *uel Qoi ego iam hoc ſcip.* Nam *& hæc ſcriptura ex antiquo libro poſſet colligi. utraq; oratio eſt* ἐλλειπτικὴ, *in pronūciantis iracūdia.*

Luceſcat.) Et Terent. *luceſcit. Sed in noſtra ſcriptum fuit, luciſcat.* Nota *autem permutatio e & i, ut puteſco, putiſco.*

22 Age, i tu ſecundū.) *Liquida ſcriptura hæc in noſtro codice. Sunt autem uerſus numeris* συγκεχυμένοι, *uſq; ad hunc,* Sequere *ſis herum qui ludificas. à quo omnes deinceps in hac ſcena ſunt* Trochaici Archilochij.

Eccere iam tu autem.) *Ita quidē in noſtro co-*

dice ſcriptura ſeſe habet: non etiam ſenſu incõueniente. Sed Chariſius & Nonius ſic adducunt, Eccere iã tuatim *facis: id eſt, tuo more.*

23 Qui uerba loquitur.) *Malim uera, uel potius uerum: ſed noſter liber non aſtipulabatur.*

25 Non ſoleo.) *Labant & confunduntur numeri, ut & in octauo ab hoc, & penultimo.*

Satin parua res.) *Nihil pollicetor de diſtinctione horum uerſuum, qui ſunt in hac ſcena ante eum, cuius eſt initium,* Aedepol me uxori exopt. *Sunt autẽ pleriq; quadrati, confuſis pedibus.*

26 Quem peneſt.) *Id eſt, penes eſt. Paulo autem antè uictor belli clueat: id eſt, celebretur.* ἀπὸ τοῦ κλύειν *eſſe quidam uolunt. Plinius tamen cluere dicit eſſe pugnare, unde & Cluacina Venus.*

Aedepol me.) *Verſus omnes deinceps huius ſcenæ ſunt Trochaici Archilochij.*

Cœtu.) *Id eſt, coitu, hoc eſt, coitione, mutatis literis oi in œ diphthongum.*

Properare ſeſe aiebat.) *Sic eſt & in noſtro libro. Verùm animaduerti paſsim multa de aſcripta interpretatione in uerſus inculcata: id quod & hoc loco factum fuiſſe ſuſpicor. Verſus enim pronomen duplicatum non deſiderat.*

27 Animam omnem intertraxero.) *Iocus feſtiuus. nam aqua de puteo extrahitur, ut in Rudente. ita dixit* καθ' ὑπόνοιαν, *Niſi omnem aquam de puteo extraxero, & illum deſiccaro, quæ eſſet quaſi exanimatio putei. Non enim certè ſimpliciter anima hoc loco aquã ſignificat, ſecundum notationem Nonij.*

Rumi-

Rumificant.) *Vt ſcriptum in noſtro reperimus, ita curauimus exarari. & eſt ἀνάλογον ad magnificare, & ſimilia. Nonius tamen legit, rumiferant: & dicit hoc eſſe, honeſtè rumoribus ferre.*

29 Qui iſtuc.) *Nutat uerſus, ac ſuſpicor ſic legendum, me, mi uir: ita enim conſtiterit.*

30 Te heri me uidiſſe.) *Tranſpoſitis uerbis uerſus erat ſimpliciter rectus,* Te me heri.

Sed mulier poſtquam experr.) *Et hic uerſus adhæreſcit, & διαιρέσει expediendus eſt, ſi nihil fortè deeſſe exiſtimandum.*

Mihi illi.) *Ita ſcriptum eſt in noſtro, ut ſæpe alibi pro illic. & omitti c, numeri poſtulant.*

32 Pro cerita circ.) *διαίρεσιν et hic uerſus requirit: licetq́; faciamus quin, διςύλλαβον. Ceritã aũt illã, id eſt furioſam, circũferri oportere ſeruus cẽſet, id eſt luſtrari.*

33 Hei nõ plac.) *Aut chei, aut διπλασιασμὸν heihei legendum uidetur, numerorum cauſſa.*

34 Quæ iſtæc propter.) *Scribendũ,* Qua iſtæc propter. *eſt enim τμῆσις, ꝑ ſimplici, quapropter iſtæc.*

Tu ſi me impud.) *Et ſi mendi aliquid in hoc uerſu eſſe ſuſpicamur, tamen quàm proximè ueterem ſcripturam expreſſimus, & numeri utcunq; procedunt, & ſenſus eſt ſatis congruus.*

Nec nobis præſente.) *Ex hoc loco perſpici poteſt incogitantia & audacia quorundam, qui poſt priora uulnera grauiſſimas plagas inflixerunt* Plauto, *temeritate caſtigationis. Inferſerunt enim huc alieniſſima de* Nonio, *ꝗ docuit præſente & abſente ſignificationẽ etiã habere multitudinis, teſtib. citatis* Plauto *&* Afranio.

Etſi autem (nam fatebimur uerum) quædam hoc loco deſiderabantur in noſtro codice, reſtitutos tamẽ & uerſus & ſenſum integritati ſuæ confidimus.

35 Aequum eſt fieri.) *Fieri, i lõga: ut & ſuprà, Quid uis fieri?ſed & alibi.*

36 In ſuperiore qui.) *Qui διςυλλάβως legẽdũ, κατὰ διαίρεσιν. Sunt autem huius ſcenæ uerſus Iambici Senarij.*

Ne hanc inçoatam.) *Ita ſcribitur omnibus literis in noſtro codice. Sext.tamen Pomp. uel is unde ipſe hoc deſcripſit, inchoare à chao Heſiodeo deducit, nimis altè petita ab origine. Dicit autem hoc Iupiter, Ne inter inuia perficiam fabulam:id eſt, relinquam inabſolutam. Etſi ut uerũ fatear, incoatio in lingua Latina ſignificare imperfectionem uidetur:nam quod Græci ἀτελὲς dixerunt, id Latinis eſt incoatum.*

Eſſe aſsimulabo.) *O, retinendũ inelifum, ut numeri progrediantur,*

Infecta refert ac clamitat.) *Scriptura eſt in noſtro confuſa hoc loco. nos coniectura, quàm proximè potuimus accedere, ad hæc peruenimus, quæ curauimus exarari. Sunt autem huius ſcenæ uerſus ſimiles uerſibus prioris.*

37 Nimis uerecũda es.) *Vſitatiſs. ueteribus eliſio literæ s. Dicũtur aũt hæc ita, ut actio ſeu geſtus indicetur. Nã apparet inter hæc uerba Ioue cœpiſſe blãdius contrectare Alcumenã, atq; ipſum repulſum ab ea fuiſſe. Nonius tamen ad priora ſimpliciter reſpiciens, interpretatur uerecundum, audax & confidens.*

Id hunc rogato Soſiã.) *In noſtro libro liquidò ſcribitur,*

ſcribitur, uel id hunc rog. idq́; ſenſum reddit acriorem: neq; numeros turbat, ſi meminerimus u pro cõſonante apud ueteres in pronunciatione plerunq; euanuiſſe.

39 Derides qui ſcis.) *Huius ſcenæ uerſus* 18. *ſunt* Trochaici Archilochij. *Reliqui* Senarij Iambici. Hic *autem uerſus ita legitur in noſtro libro,*

Derides, *qui ſcis hæc iam dudũ me dixiſſe per iocũ.*

Sed ſic, dixe, pronunciandum fuerit: cui ſimile eſt illud, Vixet.

An id ioco.) *Si legamus, dixiſti tu, nuſquã adhæreſcent numeri, cum quidem initium rectè fuerit cõſtitutum: ut,* An *id io, ſit* Trocheus. *Similiter & in ſequente uerſu: aut poſt habui, iã ἢ τοιϛτότι omiſſum fuit, aut διαιρέσει numeri fulciendi ſunt.*

Blepharonem ut.) *Aut produxit primam in nomine proprio, aut m retinendum. Sicut & mox in illo,* Fac *Amphitruonem aduen. & alibi ſæpiſſimè.*

Quin ueni quando.) *Poſt hunc uerſum ponitur in pleriſq; omnibus editis libris ille, qui à Nonio memoratur:*

Q*uando exiurauiſti te mihi hæc dixiſſe per iocum.* In *noſtro libro deſiderabatur.*

Commœntus.) *Nonius pro cõmunitus: ut commœnitus, uideri poſſit integrum.*

40 Sic ciſpellam uirum.) *Non affirmo ueram hanc eſſe lectionem.* In *noſtro erat,* Inde *optime ſciſpellam. de quo nos illud effinximus, præſertim cum unam adhuc ſyllabam numeri requirerent. Sunt enim* Tetra *metri* Iambici *ἀκατάληκτοι huius ſcenæ uerſus omnes, præter ultimos tres, qui ſunt τρίμετροι.* Fortaſſe *uerũ ſit,*

 ſic

ſic aſpellam, ut Mercat. Qui ad uerſum eum aſpellito.
41 Naucratem quem conu.) *Verſus huius, itemq; ſequentis ſcenæ ſunt* Trochaici Archilochij.
42 Vlmorum acheruns.) *Veteres dixiſſe in genere fœminino Acherontem, conſtat.* Et Nonianno ta*uit adducto loco de Captiuis Plauti. Sed & Aggerunta dixerunt, aſpiratione mutata, quam priſcos Latinos nō uſurpaſſe ſcimus, in quo eſt & Aggeſtionis ſignificatio.*
Sacrufico ego tibi.) *Poſt hunc uerſum multa ſanè deſunt in noſtro libro, & in ueteribus impreſsis. de quibus quidam eruditi contendunt, Plautina ne ſint ea, quæ nunc in libris impreſsis leguntur, an non ſint. Quā nos quidem controuerſiam indeciſam relinquentes, hoc loco curauimus illos uerſus, quibus argumentum contexitur, exarari ita, ut in editis libris leguntur. Sanè quo minus* γνησίους *exiſtimem, in cauſſa cùm alia ſunt, tum* ꝗ *de Amphitruone Plauti à Nonio adducuntur quædam, quæ de hoc loco aſſumta uidentur eſſe: ut hoc, Nihil te pudet ſceleſte populi in cōſpectu ingredi. & hoc, Optimo iure infringatur aula cineris in caput. & hoc, Ne tu poſtules matellā unam tibi aquæ infundi in caput. Item, Herus Amphitruo occupatus. &, Eo more expergefactū aduenìens tenebroſam offendi domū. Itemq;, Animā comprime. &, Quæſo aduenienti morbo tute medicabis. &, Laruatus ædepol hominē miſerū medicū quæritat. ac fortaſſe & hoc, Ibi ſcrobes fodito ſexagenos in dies. uel ut Priſc. lib. 7. Scrobes effodito duplos ſexagenos in dies. Illud quidē,* ꝗ *& ipſum à Nonio adducitur, inſeriū fuit, Quid minitabas te facturū? ſi iſtas pepuliſſē fores. Sed, ut dixi, cōtrouerſiā iſtā indeciſā relinquem⁹.*

Siue

50 Siue auum uidebo.) *Vt furēs ira loquitur: ſed uidebo,o,retinebit,ut uerſus ſubſiſtat.*

Spes atq; opes.) *Neſcio unde* Dapes *ſurrepſerint hoc loco,pro ſpe,neq; ſenſu, neq; numeris patientibus. Sunt autem huius ſcenæ uerſus quadrati omnes, τετράμετροι ἀκατάληκτοι, &* Archilochij *quid, & clauſula una δίμετρος*

52 Sonitus,tonitrus.) *Ita* Nonius. Tonuit *autē ſcriptum eſt in noſtro codice. Mihi tamen uerū uidetur, tonitꝰ:ſicut & poſtea,Sed quid hoc? quàm ualidè tonitꝰ paulo item pòſt,ita tum conſulgebant,legitur & in noſtro codice,uerſu Spondaico. Quod ſi eſſet conſulſerāt, numeri æquabiliter procederent.*

53 Hæc ſola ſanam mentem.) *Non eſt diſsimulandum,ita nos mutaſſe priorē ſcripturam. Sed indicandæ etiam aliæ coniecturæ fuerunt. In noſtro codice legitur ſaccā mentē. Ac,ſarcā, quod quidam fecerūt, nil planè eſt. poteſt autem eſſe ſiccam, id eſt firmā aut ſobriam:uel ſartā,id eſt non læſam,neq; labantem. Poteſt & aliud,de quo licet ſuam quiſq; opinionem ſequatur.*

54 Angues iubati.) *Ita in noſtro libro manifeſtè ſcriptum. Sed* Nonius *in fœminino genere poſuit:* Deuolant *angues iubatæ in impluuium duo. Mirum autem uidetur,ſi fœminium addidit, iubatæ, cur non & in alijs epithetis hoc ſeruarit,duo,ambo,conſpicati:&, alterū altera apprehendit eos manu.* Hoc igitur in medio relinquamus.

55 Tu grauidam item.) *Ti qum in,confragoſe ſanè cadūt in dactylū pedē. Atq; huius ſcenæ uerſus ſunt Senarij iābici.* Tres *aūt ultimi* Throchaici *Archilochij.*

IN ASINARIAM.

HVius comœdiæ & nomen & argumentum leue atque iocoſum, & tota, quemadmodum in prologo dicitur, ridicula res eſt. Sed ingens turpitudo & nefarium flagitium hac fabula exponitur, ſocietatis ſceleſtæ, & eorũ quæ animaduerſione acerrima digna, nõ ſolũ impunita eſſent legibus, ſed iocis etiã uerborum uulgo celebrarentur. Atq; hæc eſt horribilis ira Dei, *quæ impietatem ita ulciſcitur, ut in omnia peſſima illam facinora ruere, & delicias facere in grauiſs. delictis patiatur.* Id *quod debemus in his ludis diligenter cognoſcere, ita ſeria etiam illi ducent, cum aliqua utilitate noſtra.* Omnibus *autem ſeculis tum deterrima uita fuit, cum turpitudo minimum habuit pudoris. atque utinam nunc hac in parte occurratur incitatæ iræ* Dei. Nam *ſobrietate & frugalitate penè omni ſublata, alia etiam uitia, quaſi apertis carceribus ſeſe effundunt & efferuntur. Sed hæc monuiſſe ſatis fuerit. Contemplemur igitur quaſi in ſpeculo huius comœdiæ, ſummam turpituditudinem temporum illorum: &* Deum *timeamus atq; ueneremur, orantes ut à nobis tantam atrocitatem pœnæ, id eſt, cæcitatis & ἀδονίμου νοῦ, ὃς εἰδῶν οὐδὲν ὧν ἁμαρτάνει, benignè auertat, & molliat animos noſtros, cõmoueatq; per ſanctũ ſpiritum ad pœnitentiã delictorum, & erigat ad ſpem ſalutis in fide* Ieſu Chriſti *ſaluatoris noſtri,* Amen. *Atq; ita ad rem.* In *hac fabula, uolente & iubente patre, argentum à ſe aufertur, q detur filio amãti, ea lege, ut filius patri apud amicam locũ eſſe patiatur.* Mirificè *aũt ludũt adoleſcentẽ ſerui,*

parta

parta præda. Et finis continet pudendam criminationẽ uxoris, educentis è luſtro uirum ſuum. Deniq; ſunt omnia leuia atq; futilia ac ſcurrilia in hac fabula. Perſonæ autem hæ: Libanus, ita enim cõſtanter in noſtro legitur libro, gentile, ut puto, Syriacum. Demænetus autem, de laude populari δημαινετός. Argyrippus, ut χρύσιππος, addente fine grãditatem nomini. Cleæreta, hæc enim uera eſt appellatio, κλεαιρετὴ, de famæ electione ſeu conſilio: ut κλεαίνετος, κλεαρίστη, quorum illuc famæ laudẽ, hoc præſtantiã notat. Leonida autẽ eſt λεωνίδης, patronymica forma, à Leone. Philænium eſt φιλαίνιον, à laudis ſtudio. Niſi fortè φιλοίνιον eſt, à uino. Diabolus calũniator, infamator, obtrectator, διάβολος, niſi fortè honeſtiore nomine διοβόλος hic eſt, quaſi διὸς βόλος, nã & διωβόλου futilis eſt ſignificatio. Artemona, ἀρτεμώνη, ab ἀρτέμων, quõd in naui grandioris ueli nomen, ſicut ab ἡγεμὼν ἡγεμόνη. In Actis, καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, permiſsis uento uelis. ἀρτέμων etiã ut πολέμων, proprium cuiuſdam uel uita, uel arte mirifici hominis. unde prouerbium ἀρτέμων περιφόρητος, de quo aliâs. Inde eſſet ἀρτεμώνη, ut ἀνεμώνη. Sed de his ſatis. Hoc tamen etiam indicandum putaui, citari de Aſinaria Plauti hæc, Quaſi formicis obijcias papauerẽ. quæ in hac fabula non leguntur. Sed Nonius etiam meminit etiam Aſinariæ Pomponij, de qua fortaſſe illa deſcripta fuerunt.

IN PROLOGO.

Prologus neque integer uidetur eſſe, & mendis non caret: uerſibus, ut ſolent prologi, compoſitus Senarijs Iambicis. In primo uerſu legendum iam, διςυλλάβως.

56 Caue modò ne.) *Hoc loco, quod non poſſemus decernere quid in archetypo fuiſſet, unde noſter liber deſcriptus eſſet, ſpaciolum reliquimus. Nam illud Graxis neſcio quid eſſe dicã, in noſtro literæ uiſuntur, quibus comprehẽſis gratis fieret. ſed quid etiam hoc ad rem? tametſi nõ ignorem inter priſca uerba referri, gracire. Ac me non fugit, eruditiſs. quoſdam hunc uerſum adduxiſſe, cùm probare uellent, etiam* ἀσυνδλαΐζοντας *ueteres comicos inter ſenarios ſuos uſurpaſſe, de quo quidem ut diligentius cogitandum atq; quærendum eſſe cenſeo, nam res nequaquam adhuc plana facta eſt: ita non dubitarim affirmare, hunc uerſum eſſe & mutilum & mendoſum, in cuius fine deſit dictio* τετρασύλλαβος, *ſi breuiſsima fuerit, ut ſcreaueris aut ſimile quid. de quo legentium eſto iudicium: nam quid præterea dicam, aut conijciam, non habeo.*

IN ARGVMENTO.

E`luſtr.) *Confuſior eſt ſcriptura hoc loco in antiquo noſtro libro, ſed omnino apparet in archetypo, unde ille deſcriptus eſt, uel hoc fuiſſe, uel, è luſtris trahit. Nobis rapit, melius uiſum. uerſus ſunt ſimiles ſuperiorum.*

57 Polentam pinſitant.) *In noſtro eſt & ipſo pranſitant, ſed manifeſtè emendatum, pinſitant, id quod nos exarari curauimus, ut uerba fieri de piſtrino, intelligeretur. Sunt autem huius ſcenæ uerſus Iambici ſenarij.*

58 Prænoſcimus.) *Hoc factum eſt de exemplorũ ſcriptura corrupta, etiam hoc loco. Nobis autem cogitantibus, & literarum deprauationes atq; diſtractiones cõſiderãtibus, uel omnino uera, uel ueræ propior lectio*

uiſa:

uiſa : nos tamen inde noſcimus, quam pro illa expreſſa etiam edi rectè poſſe non dubito.

Obſequelam iam.) *Ne quid diſsimulem, iam in noſtro non legitur: ſed omnino uel hãc uocẽ, uel aliquid aliud omiſſum puto: aliter enim numeri nõ procederẽt. nam de Spondaicis immiſtis ſenarijs Iambicis, non probant mihi ſententiam ſuam quidam eruditi homines illi quidem : ſed ij tamen, à quibus diſſentire non ſit nefas. Quod ſi eſt hic uerſus integer, etiam* ζίμετρος ἀκατάληκτος *non eſt, ſed* καταληκτικὸς εἰς συλλαβὴν. *ſequelam enim* ἀμφίβραχυς *eſt. Verùm de hoc ſatis.*

. Quum me adijt.) *Scribendũ Qum, ut alibi. Sicut et qom. Mutarũt autẽ ueteres ſæpiß. u in o. In hac cõiunctione autẽ, ut & Victorinus notauit, multi fecêre diſcriminis cauſa initialẽ literã q. præpoſitionẽ ſcribẽtes p c.*

59 Venari autem tete.) *In noſtro planè hic uerſus legitur, niſi quod prima litera neq; r, neq; t planè uidetur. Alij aliud fecerunt, quidã etiam apros inſerſerũt. Nos, tete, curauimus exarari. ſed poſtea diligentius cogitanti mihi ĩuenit in mentẽ, credi poſſe in archetypo fuiſſe ſcriptũ, uenari autẽ cete iaculo in medio mari, quod eſt τῶν ἀδυνάτων. nam curſura & exagitatio in mari nulla eſſe poteſt. Itaq; mihi hæc propemodũ iã uera lectio, & ad hũc modũ hic eſſe locus reſtitutus uidetur.*

Perficito arg.) *Legi poſſe uideo, perficitote. nã & duorũ mentionẽ fecerat ſenex, & in noſtro libro eſt interpolata ſcriptura. Sed hoc ſi cui minus placebit, is ante, hodie, retinebit literam m, numerorum gratia.*

61 Ex fera fame manſuetã.) *Legendũ, mãſuetẽ, ſecundũ Noniũ, ut ſit nominatiuus Mãſues ueteri forma*

pro

pro manſuetus, id eſt, χειροήθης, quaſi aſſuetus ad manum accedere, & manū patiens, ut Maro. Huius *ſcenæ ab initio uerſus* 11. *ſunt confuſi numeris, & habent* καταλήξεις. *ſequentes omnes ſunt* Trochaici Archilochij.

Vnumquodque iſtorum.) Non *uoluimus mutare ordinem uerborum, ut quidam fecerunt, quo numeri expeditius procederent.* Nam *& u, pro conſonante in nomine, uerbum, liqueſcere, & in ablatiuo* Philippeis *eſſe* ἐπισυναλοιφῇ, *& alijs etiam figuris explicari res poteſt.* Hoc *ſciēdum, nummos* Philippeos *fuiſſe quōdam aureos, inſignes imagine* Philippi *regis* Macedonum, *ut in noſtro libello* De *re nummaria oſtendimus.* Sed *ijdem ſunt apud* Plautum Philippi, *ut & apud* Horatium, Rettulit *acceptum regale numiſma* Philippos, κατὰ μετωνυμίαν *ſeu* ὑπαλλαγήν. *Sunt autem uerſus huius ſcenæ* τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταληκτικοί.

Semper tibi promiſſum.) Q*uidam fecerunt, promiſſam, ſine cauſa mutantes ſcripturam.* In *uerſu autem ſequente legendum,* Q*ui modus dandi?*

62 Vt mittam gratijs.) *Vera lectio hæc eſt.* De *hoc autem fit gratis, quaſi* συνῃρημένως. Sicut *ingratis, de ingratijs, quo & ipſe* Plautus *ſæpe utitur.*

63 Abuſa.) Exprimi *curauimus ueteris exempli ſcripturam, uerbis, ſententiaq; & numeris congruentibus.* In Nonio *tamen ita nunc legitur, abuſa ſunt. nam ſi ea durarent mihi, mulier mitteretur ad te, nec te quicquam poſcerem.*

Nihili coctio eſt.) *Veram eſſe lectionem puto, nomen eſt tamen hoc in noſtro minus liquidè perſcriptū.* Coctionis *&* Nonius *mentionem facit, & cuctionem ue-*

teribus

teribus fuiſſe ait. Et Gellius *apud* Laberium *uulgare nomen Coctionis reperiri ſcribit pro eo, quem ueteres arulatorem uocaſſent.*

Vinula uenuſt.) *Vinnula geminata litera n, tam in noſtro eſt codice, quàm apud* Nonium. *Qui dicit eſſe uinnulum, ſenſiloquum, hoc eſt illecebrum: id eſt, ut opinor, animum penetrans leuitate & blandimentis.*

64 Quod peream.) *Ita oratio quaſi græciſſat, ut in alijs multis. ut, Quid me uis? id genus. In noſtro tamen legitur, Quo peream magis.*

65 Certè herclè ego.) *Auſpicij, integrè legetur, propter numeros. niſi quis malit, auſpicioq́;, ſed expreſſa ſcriptura eſt ueteris libri. Verſus autem ſunt ſimiles ſuperioris ſcenæ. paulò autẽ antè: Quin abs te ſocordiã omnem reijce & ſegnitiem amoue.)* Expreſſa *eſt ueteris libri ſcriptura, cùm uerum eſſe uideatur, reijcis &, itemq́; amoues, ut ſequentia conſentiant.* συναλοίφεσθαι *autem poſſunt illa, ut ex reijcis &, fiat reijcet, liqueſcente litera* S.

Obſeruabit.) *Vel obſerauit, ſed obſeruauit eſt in noſtro. Verſus ſunt ſuperioris ſcenæ uerſuum ſimiles.*

Herum in obſ.) *Aut herum in, dactylus erit: aut in obſidione, ſi producetur, aut alia quauis ratione fulcientur numeri.*

66 Max. opt.) *Ita planè in noſtro eſt libro, & hæc eſt uera lectio. adducuntur à* Gellio *hi uerſus, interpretante uocabulum* Obnoxius, *ſed mendosè perſcripti ibi ſunt.*

67 Tantùm adeſt boni è imp.) *Legendum, Tantum adeſt boni improuisò: omiſſa præpoſitione,*

quæ

quæ neq; in ueteri libro eſt, & quam numeri repudiãt.

Familiare tergum.) *Ita eſt in noſtro. Nonius in genere maſculino legit familiarem tergum. numerorum ratio utramq; formam nominis admittit.*

Mitto iſtuc.) *Ita in noſtro hic uerſus ſcriptus eſt. Quidam ad explendos numeros fecerunt, Mitto iſtuc iam. Mihi uenit in mentem, à librario pronomen fuiſſe omiſſum, cùm in archetypo iterum poneretur, hoc modo, Mitto iſtuc, iſtuc quod af.*

68 Mercatori pelleo.) *Verſus dictionem dactylicam requirit, & eſt tamen* πηλαῖος ἀπὸ τῆς πέλλης. *ut, Pellæo iuueni totus non ſufficit orbis. & mox, Pellæo mercatori. hic ergo* κατὰ συστολὴν *pelleo fecit.*

Fœmina.) *Sine diphthongo, ſola litera e, ſcribendum. Et mox, idem, eſt iidem. Et inferius, exaſceatum: ita & in noſtro. Eſt autem aſcia notæ ſignificationis nomen. Superius autem editus eſt uerſus ſecundum noſtrũ ueterem librum, Malum qui patitur, idem poſt patitur bonum. Sed alij ſic perſcribi curarunt, poſt potitur bonum. Quæ ſanè lectio commodior uidetur. nam illud* κακῶς πάσχειν, & εὖ πάσχειν, *quod Græci dicũt, haud ſcio an lingua Latina non receperit.*

70 Conſeruas meas.) *Meas* μονοσυλλάβως, *ſicut & in mox ſequente ædibus* δισυλλάβως. *etſi hoc etiam in genere magna licentia uſa comœdia Latina fuit. Sunt autem huius ſcenæ uerſus iambici tetrametri,* καταληκτικοί, *qui uocantur Hipponactei & ſeptenarij.*

70 Ita hæc morata ianua eſt.) *Curauimus, ut ordo qui eſt in ueteri libro uerborum ſeruaretur. Numeri autem expeditè procederent, ſi fieret, Ita hæc morata*

rata ianua eſt, extemplò ianitorem: perperam autem e‑ xaratum fuit, exemplo.

Quiſque obuiam.) *Sic etiam quiq; dixerunt. Atq; in ueteri libro prorſus illa ſcriptura eſt. mihi tamē in mentem uenit fuiſſe in archetypo, quiqui obuiam, id eſt, quicunq;.*

71 Iuſsin ſcelcſtc.) *Ianua τρισυλλάβως legetur abſq; colliſione, ſeu eliſiõe. uel addetur, hac, ab ianua hac, hoc ſterc. Sunt enim uerſus huius ſcenæ ſimiliter* Hipponа*ctei. qui ſequitur, addita ſyllaba er, in deijcier expletus fuit: ſed in noſtro libro deijci legitur, ut & in* Nonio*, qui araneorum in maſculino genere eſſe uult, in noſtro tamen libro aranearum eſt.*

72 Sic dedero prius.) *Perſpicua ſcriptura in noſtro libro hæc eſt, ac miror quamobrē putarint eſſe mutandam.* Nam *hoc dicit, ita ſe potius donare uelle quàm uendere, cùm tam malè ſoluatur.*

74 Proficiſcin.) *Mendum hoc eſt, & in noſtro ſcriptura deprauata, etiam interpolatione literarum, quæramus ergo emendationem.*

75 Nequcon ego te.) *Te retinendum διαιρέσει, ut conſtent numeri τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοί. Sicut & mox,* Et *meā partē loquēdi, nõ elidetur litera i.*

Vltro expeteſsis.) *Vel expetiſsis. nota enim hæc literarum e & i mutatio. Inferius: apud me inopiæ, ἀσυναιρέτως pronunciabitur. Et mox, ſicut redamare, ita quoq;, quod amentur, legendum. Et poſt uerſus aliquot unum Argyrippum, aut abſq; eliſione literæ m, pronunciabitur nomē, aut deeſt fortaſſe pronomē, hunc: ut fiat, Argyrippum hunc animi cauſa.*

76 Indo‑

76 Indoctoréſque.) *Verſus ſunt rurſum* Hipponactei. *Expreſſa autem eſt hoc loco ſcriptura ueteris libri, quam mutarunt quidam ſanè audacter, ut uidetur, in* Tortores. *Mihi autem illud uocabulum ſanè eſt ignotum, neque ſatis poſſum conſtituere, quid in archetypo fuiſſe ſuſpicandum ſit, cùm hæc quidem lectio falſa eſſe uideatur.* Cogitanti *tamen in mentem mihi uenit, fortaſſe* Plautum, *qui non dubitaret quiduis fingere, feciſſe incloctores, de ſonitu uerborum: ut illud, taxtax tergo erit meo.* Nam *clogmum* πεποιημένως *ſtrepitum & ſonitum* Græci *appellarunt, ut in iocoſo oraculo* Luciani, *μόθον ἐπεραλκέϊ κλογμῷ.*

Eæ nunc leg.) *Et ſenſus horum duorum uerſuum, & uerba ſunt perturbata.* In *noſtro hi uerſus ita leguntur,* E*æ nunc legiones, copiæ, exercitusq; forum,*
V*i pugnando periurijs noſtris eugæ potiti.*

Q*uæ ſcriptura ſi eſt uera, forum pro furum poſitum eſt. atq; hæc mihi ex omnibus lectio max. tolerabilis uidetur.*

77 Atque ingenio noſtro.) *Hoc aliqui mutarunt & ſcripſere, ingenia noſtra.* Nos *autem ueterem ſcripturam ſtuduimus exprimi.*

78 Quod ſe abſ.) *Hic uerſus ſi eſt integer, aſſumenda ſunt illa adminicula figurarum, quibus numeri fulciantur, & omnino, fidem legendum totum.*

Mane dum.) *Similiter & hi uerſus* διαιρέσει *eſt expediendus, ut numeri progredi poſſint.*

79 Nunquam ullum habui.) *Ita & in noſtro. Sed uerſus requirit penultimam ſyllabam longam.* S*unt enim huius ſcenæ uerſus* Hipponactei, *ſimiles uerſibus*

*ſibus ſuperioris.*Ideo *uenit in mentem mihi,* Plautum *fe=ciſſe, habiui, ut poſiui, uaciuas, & huiuſmodi quædam alia.*

80 Hinc medamantem.) *Manifeſta ſcriptura hæc eſt in noſtro libro, quam non agnoſcentes fecerunt clamantem. Quod autem ſequitur, deiecit, in ueteri li=bro planè ſcribitur, deligit, quod temerè mutandũ eſſe non puto.* Nam *deligo & diligo, mutata e litera in i, di-ſtractionem & diuiſionem ſignificare* Nonius *docet, adducens locum è Curculione, Clupeatus elephantum ubi machæra diligit.*

Ecquid eſt ſal.) *Vt reperimus in noſtro libro, ita exprimi hunc uerſum curauimus. ſatis autem habet, s, literam liqueſcentem. quod non animaduertentes qui-dam, hunc locum mutando corruperunt, ut alios in hoc autore innumerabiles: quorum audaciæ uel temeritati potius, ſæpenumero non poſſum non admodum iraſci.*

Quo nos uocabis nomine.) *Si nihil deeſt in hoc uerſu, nomine habebit ultimam longam:* ἐκτάσει *ſa=nè inuſitatiore. qua offenſi nimirum fuerunt, qui inſe-ruerunt* At, *& fecerunt,* At *non patronos: de quo ipſi ui derint.*

81 Nolo ego.) *Si eſſet,* Nolo *enim ego te, eſſent pla na omnia: nunc adhæreſcunt numeri, quibus expedien=dis opus erit* διαιρέσει.

Procliue eſt.) *Vera lectio expreſſa de noſtro ad uerbum.* Iocatur *autem ſeruus, alludens ad id quod antè adoleſcens dixerat,* Hic *iſtam colloca crumenam in col-lo planè. atq; id ait eſſe in procliui, quod ille in plano di xiſſet.* Scribendum *autem collocare. nam illud conloca=*

re, quia non enunciatur, etiam ſcribendum ad illum modum non eſt, etſi talis ſcriptura in ueteribus etiam libris cernitur. ſed omnino eſt curioſitatis grammaticæ hæc ſcriptio, à Priſciano etiam reprehenſa. Sed hoc nũc non agitur.

Dic eſſe uitellum.) *Scribendum, Hœdillum me tuum dic eſſe, uel uitellum. uidetur autẽ à uitulo nunc uitellũ duxiſſe, ut ab annulo anellus ſit, & à fabula fabella.*

82 Videbitur factum uolo.) *Varro: Videbimus, factum uolo. In noſtro autem liquidò legitur Conticinno gemina nn, τετρασύλλαβον, & ita quidem numeri magis bellè procedunt. Sed neq; conticinio, ſi legatur, impediuntur illi: & ubiq; conticinium interpretantur, ſilentium quietis nocturnæ.*

Hirundinem monedulam putillum.) *Hoc putillum perperam inculcatum, tollatur. Sed hoc ſciendum, putillum in ueteri libro legi, et uideri poſitum pro puſillo. Penultimus & ultimus uerſus huius ſcenæ ita diſtinguendi ſunt,*

De argẽto enim ſi mater tua ſciat uti ſit factũ. ARG. eia
Benedicite. ite intrò citò. ualete, & uos amate.

Atq; citò, aut habeto ἐκτεταμένον, aut deeſt: & ut fiat. citò. & ualete.

85 Tuus arbitratus.) *Id eſt arbitrium. In Nonio perperam legitur arbitrius, pro arbitratu. Sunt autem uerſus hius ſcenæ omnes ſenarij Iambici.*

Abs ted accipiat.) *Interpoſita litera d, ad dirimẽdos ſonos uocalium etiã hoc loco turbauit emẽdatores, qui locum hunc corruperunt, & fecerunt Adſtet. Poſtea autem legẽdum, & uotitã dicere: id eſt, religione probi-*

prohibitam, ut Nonius *interpretatur, non uetitam.*

86 Tot reddat ſpur.) *In noſtro,* & Nonius, *tot noctes reddat ſpurcas, quot puras habuerit. Quæ ſi eſt uera lectio, tot noctes, erit* κατ' ἐπισυνεκφώνησιν, *ſpondæus: ſin omittas, noctes, legendum eſt habiuerit. aliâs enim uerſus erit* μείουρος.

87 Agedū decūb.) *Huius ſcenæ primi uerſus duo, ſunt iambici* τρίμετροι, *reliqui* τετράμετροι ἀκατάληκτοι.

Nunquid nam tibi.) *Hic uerſus ita ſcribi atq; legi debet,*

Nunquid nam tibi moleſtum eſt, gnate mi, ſi hæc nunc mecum accubet?

88 Ain' tu meum uirum.) *Verſus huius ſcenæ, & deinceps ad finem uſq; huius fabulæ omnes ſunt* Trochaici Archilochij.

89 Faciendo laſſ.) *Fortaſſe uerum ſit, delaſſus, ita enim numeris nihil defuerit. ſin illud, laſſus, retineamus,* διαιρέσει *res explicabitur.*

90 An fœtet anima uxoris tuæ.) *Inerit iambus in hoc uerſu, aut neſcio quæ alia medicina adhibebitur numeris. Sicut & in illo,* Dixiſti *in me, ſine uenias modò domum, ſaxo ut ſcias.* Et *ſi rectè poſſe legi reuenias ſuſpicor.* Sed *& tranſpoſita uerba, modò uenias, omnem difficultatem remouent.*

91 Miſeram odio en.) *Hic uerſus in noſtro libro ita legitur, Miſeram odio enicabit.* ART. *ſurge amator, i domum.* De *cuius numeris, ſi nihil deeſt, comminiſcatur quiſq; qud poterit.* In *illo autem qui ſequitur,* At *etiā cubat cuc. niſi mutilum eſſe ſuſpicemur, iambus inerit.*

92 Iudicatū me.) *Alibi abducit. fuere qui apud* No

nium legerunt iudicatum. Cum quidem noſter ille in Nonio locus mendo non carere uideatur.

IN AVLVLARIAM.

NOmen fabulæ inditum à re quæ negocium & uariat, ac reddit copioſiorem expoſitionem. Ea eſt olla plena auri, reperta ab Euclione in domo paterna. Huius ſenis auariſsimi & parciſsimi filiam ui noctu adoleſcens Lyconides compreſſerat. Itaq; inſtante partu, cùm puellam amaret, & auunculo deſpõſam eſſe cognouiſſet, rem omnem matri indicat, & per hanc impetrat illa ſibi ut nubat. Interea ſenex de auri cuſtodia delicias facere, & illud tamẽ amittere. Hinc illæ turbæ querelarum, & error confeſsionis, factæ iniuriæ. Tandem adoleſcens de ſeruo ſuo cognoſcit, quid de olla ſit factum. Atq; hactenus Plautina ad nos peruenerunt. Ex præpoſito autem argumento intelligi poteſt, tum & aurum redditum ſeni, & illum animo mutatũ fuiſſe, & dotatã filiã tradidiſſe Lyconidi. Hæc Codrũ perſecutũ eſſe accepimus expoſitione ſua, & illius uerſus eſſe, qui uulgò feruntur. Noſter quidẽ Fabricius iudicauit quædam Romæ reperta, quibus ſupplerentur hæc deficientia: ſed ne illa quidem ſatis Plautina, neq; cauſa cur adijci uellemus, uiſa fuit. Proponitur imago ſordidæ parſimoniæ & moroſitatis in Euclione. Nam & hoc uitium ſenile eſt. Quo ipſo quoq; indicatur, unà cum ætate intelligentiam animi minui. peruersè enim certè fit, ut tum max. ſtudeatur rei, cum minimè ad uſum longi temporis ſpes relinquitur. Nomina fabulæ ſunt: Lar familiaris, id

ris,id eſt domeſticus genius,ſeu δαίμων. hi duo à uete-ribus perhibebantur. Ouidius lib.2.Faſt.de his,

— *Qui compita ſeruant,*

Et uigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Hoc eſt προτατικὸν πρόσωπον, aſſumptum prologi ex-plicandi cauſa. Euclio qui ſit, ſanè me fateor ignorare, niſi fortè eſt σὐκλίων,ut ἠγίων,uel σὐκλέων, uel σὐκλύων:quorum alterum bonæ famæ,alterum bene audiendi ſignificationem habet. σταφυλὴ,uua. σταφύλη autem Homero Iliad.β.amuſsis. εὐνομία,legum ſeruans. μεγάδωρος,munificus. στρόβιλος,turbo,uenti, & puerilis ludicri. Eſt autem & Megadori & Lyconidis ſeruus Strobilus. etſi aliqui fecerunt ſeruum Lyconidis στρόφιλον ἀπὸ τῶν στροφῶν, id eſt uerſutijs, ſine quidem cauſa. ἄνθραξ,carbo. Congrio,γογγρίων, ἀπὸ τοῦ γόγγρου ἰχθύος. πυθόδικος,de iure percunctans,aut certior factus. Aliqui maluerunt πιθόδικον,à dolio. λυκονίδης,forma patronymica,ἀπὸ τοῦ λύκωνος,denominatum hoc ἀπὸ τοῦ λύκου. Virginis nomen erit φαίδρα,id eſt hilaris. fit & Phrygiæ mentio in fabula, quod eſt gentile nomen. Item ἐλευσίου,ab aduentando, cui ſimile Glycerium & Leontium. ἀντίμαχος autem,eſt repugnator.

93 Senex auarus.) *Argumenti uerſus ſunt iambici ſenarij. ſecundus autem numero μειοῦρίζει, ſed nos ueteris libri ſcripturam exprimi uoluimus. Eiuſdem generis uerſibus & alterum argumentum conſtat.*

94 Ne quis mir.) *Prologus fabulæ, compoſitus uerſibus iambicis ſenarijs. quo argumentum fabulæ exponitur.*

Is quoniam.) *Repræſentata ſcriptura libri ueteris, quam*

ris,quam & Donatus agnoſcit prologo Adelph.

95 Cereris uigil.) τοῖς θεσμοφορίοις. *Sacra enim hæc à mulieribus ieiunãtibus nocturna celebrabantur. Et deæ appellabantur* θεσμοφόρω, *Ceres & Proſerpina.*

Exi inquã.) *Similes uerſus huius ſcenæ ſunt, uerſuum ſuperiorum. In tertio, Cur me miſeram uerberas, neſcio quid in mentem Nonio uenerit, ut à uerbis deduceret uocabulum, quaſi non pulſata anus uapularit.*

96 Nunc defecato.) *Liquido & ſereno, id eſt, hilari. uerſus ſunt ſimiles ſuperiorum.*

97 Tum aquam.) *Vel non fiet* ἔκθλιψις, *uel fiet* διαίρεσις *in aquam, ut conſtent numeri.*

Quanquam propè eſt.) *Non uiſa cauſa fuit, cur ueteris libri ſcripturam mutaremus. In quibuſdam tamen editis exemplis legitur, Nuſquam adijt quaquam propè, id eſt,* οὐδ᾽ ἐγγύς.

Si quid agam.) *Et hæc fideliter ſecundum ueterem librum expreſſa ſunt. Eſt autem dubitatio ſenis: qui negat ſe abiturum domo, ſi ſciat quid factu ſit optimum. Nunc in hoc hæſitat, quia metuit, ne abſentia à diuiſione ſua, in ſuſpiciones aliquas incurrat.*

98 Velim te arbitr.) *Verſus ſunt* καταληκτικοὶ, *pleriq; trimetri, numeris cõfuſis. Vſq; ad illum, Num nõ uis me interrogare. A quo deinceps quadrati* τροχαΐζοντες *decurrunt uſq; ad finem ſcenæ.*

Vt æquum eſt.) *Cogita inquit, me monere unum quod è re utriuſq; eſſe uideatur, ut æquum eſt. Alij maluerunt, Et æquum eſſe. Ita fuerit ordo uerborum explicatior.*

99 Laborem demam.) *Ita in ueteri noſtro libro. Sed*

bro. Sed Nonius hunc locum adducens, degam legit, & interpretatur minuam.

Dic mihi quæſo.) *Priſcianus libr. 13. ita, Dic mihi ſodes, quis ea eſt? Vbi docet, quis, eſſe generis communis. & alij Grammatici antiqui ſolutum uocabulum, ſi audes, Plautinum eſſe uoluerunt, & ita retulerunt hunc uerſum.*

100 Præſagibat mihi.) *Sunt & hi uerſus genere quadrati, numeris pleriq; τροχαΐζοντες. Magiſtrum autem Curiæ, quem uocat Plautus, is nimirum erit τριττυάρχης, & Curia τριττὺς.*

Vbi manum inijcit ben.) *Zamiam onerat. Si eſt ζημία, intelligemus benignitatem diuitum eſſe detrimentoſam pauperibus, & hoc fuerit ποιεῖν ζημίαν. ut Pluto, ὅστις ἐποίεις ζημίαν. Plinius autem in pinu nominat zamiam: lib. 15. cap. 26. Quæ ſe in arbore ipſa diuiſere, uocantur zamiæ, læduntq; cæteras, niſi detrahantur. Qua ſignificatione uocabulum nunc accipi, non alienum alicui fortaſſe uideatur.*

101 Ex paupertate.) *Id eſt, ordine ſeu numero pauperum, ut ex nobilitate.*

102 Et te utar.) *Hiat uerſus. Neq; ſi integer eſt, in hoc ſynereſes uocalium fient.*

Pauper metuit.) *Labaſcunt numeri. Fortaſſe ita legendum, Pauper metuit cōgredier, & per metum male rem gerit.*

103 Vbi tu es.) *Verſus ſimiliter, ut ſuperioris ſcenæ quadrati, pleriq; τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

Purè propera.) *ἐλλειπτικῶς, uide ut purè inundētur, aut aliqd tale. et ſequitur inſtigatio, propera atq;*

elue. aliqui purè auſi fuerunt mutare in purga.

104 Poſtquam obſonauit.) *Scenæ huius uerſus ſunt ἰαμβικοὶ τρίμετροι ἀκατάληκτοι.*

Senex obſonari.) *Vel potius obſonare. Filiæ autem διαιρέσει fiet τετρασύλλαβον, ut numeri conſtent, filiai. Nam ſcripturam libri ueteris & hoc loco exprimi uoluimus.*

Tigillo.) *Expreſſa eſt ueteris libri ſcriptura: id eſt, de tigno. Sed & Nonius Tegillum dicit eſſe tectum, apud Varronem. Idem tamen hunc locum adducens, de ſuo ligello, interpretatur ligellum, tuguriolum.*

105 Tace nunc iam.) *Eiuſdem generis uerſus: id eſt ſenarij.*

106 Stultus & ſine.) *Id eſt, ſtultus es, & ingratus. Et ſequitur indignantis oratio imperfecta: Tibi rectè facere, ſcilicet aliquis auſit? aut ſimile quid. Sicut illud: Adeóne eſſe hominem inuenuſtum?*

Quippe qui.) *Nam quis ubi quid ſurripiat, nihil eſt.*

Heus Staphyla.) *Eiuſdẽ generis uerſus hi ſunt cum ſuperioris proximæ ſcenæ uerſibus.*

Cererin Strobile.) *Cereris feſtis ieiunabant, ut Ariſtophanes, ὄρνισι ὥσπερ θεσμοφορίοισιν νηστεύομεν. Et ſobriæ mulieres has ferias celebrabant. Torſit ſe Seruius Georgicorum primo, in hoc uerſu explicando:*

Cui tu lacte fauos & miti dilue Baccho.

Sed Macrobius dubitationem omnem conatur diſſoluere libr. 3. Saturnal. ubi etiam uerſus Plautinus ita refertur,

Cererin Strobile hi ſunt facturi nuptias.

Con=

Conſtat autem, uel de fabula quæ narratur ab Ouidio *lib.* 5.Metam.*Cereri mulſum oblatum fuiſſe in ſacris illius,cum ſitiens biberit illud,quod anus*

Dulce dedit,toſta quod coxerat ante polenta.

Sed ut in fabula Palliata, ad Græcum ſacrorum ritum Plautum reſpexiſſe,dici etiam poteſt. Verùm hæc & his ſimilia explicatoribus perquirenda relinquimus.

107 Curate, ego.) *Similiter & hi, & ſequentis proximi,& deinde tertiæ ſcenæ uerſus trimetri iambici ſunt* ἀκατάληκτοι.

108 Ego hinc artoptam.) τὴν ἀρτόπτην, *ad panes torrendos utenſile.De hoc uerſu concertaſſe eruditos,an eſſet illius poetæ,ſcripſit Plinius libro decimooctauo,cap.undecimo. Paulo antè omnibus adij manum,Plautinum prouerbiũ,expreſſa & hoc loco & alibi(nã ſæpius eo uſus eſt)fideliter ſcriptura ueteris libri.*

Optati ciues.) *Verſus quadrati, recidentes ad formam Hipponacteorum, quam & ſequentes ſcenæ uerſus referunt. Sunt tamen in his confuſi numeri,& plerique* βραχυκατάληκτοι.

109 Vtinam mea.) *Hic uerſus integer & plenus non uidetur.*

Me haud pœn.)*Fortaſſe,Meũ haud:id eſt,meorũ.*

110 Hoc quidem.) *Rurſum manifeſtũ uerſuum genus,* τετραμέτρων καταληκτικῶν τροχαϊκῶν.

111 Narraui amicis.) *Verſus huius ſcenæ ſunt* τρίμετροι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι.

Pauperiorũ fil.) *Id quod in uetere libro extat, ut alijs locis, ſic etiã hoc fideliter curauimus exprimendum, quamuis pauperarũ alios edidiſſe nõ ignorarem.*

Quo ille nub.) *Ad quos perueniēt maritos. uel* κατ' ἔκθλιψιν, *qoi. ſicut & mox, Qoi lubeat.*

112 Caupones.) *Plana & manifeſta ſcriptura in libro ueteri. Sed in editis ferè exemplis, Ciniflones. infectores autem capillorum ita nominabantur, à cinere ad colorandos crines idoneo.*

Carinarij.) *Ita in noſtro libro legitur. In* Nonij *libris, & Carinarij, in dictione* Flammeus: *& coriarij, in dictione* Violacia. *Iam quidam* Earinarij *fecerunt,* ἀπὸ ἐαρινῶν ἐσθήτων.

Murrobathrarij.) *Et hæc ſcriptura in noſtro libro certa & liquida. Alij ediderunt myrobrocharij,* ἀπὸ τοῦ μύρου, καὶ βρέχεσθαι.

Molochinarij.) *à colore. Molochina ueſtimenta facta eſſe uult* Nonius, *maluæ quidem. Ea eſt* μαλάχη, *& ueteribus* μολόχη, *ut* Athenæus *docuit.*

Limbolarij.) *In noſtro libro erat, limbuarij. In* Nonio, *limborarij nunc ſunt.*

112 Et mox nugigerulis.) *Pro hoc reperitur, Nugiuendis.*

113 Nimium lib.) *Et hi uerſus ſunt iambici ſenarij.* Planè *autem erat in noſtro libro perſcriptū uerbū, edi, & aſcripta interpretatio, audiui.* Et Nonius *ita retulit, docens non ſolum cibos gutture, ſed uocem auribus etiam deuorari.*

114 Ita cura macer.) *id eſt, macilentus eſt: uel macet, ut* Nonius. *nam ueteris libri ſcriptura hoc loco mendoſa erat.*

Hoc eſt ſcr.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

115 Scirpea

115 Scirpea inducitur.) *In quibuſdam exemplis, induitur. In Nonio, Scirpo inducitur ratis.*

Vt toleret ne peſſum ab.) *Hic uerſus mutilus eſt, & fine deficitur, & in noſtro libro lacuna erat.*

Tu modò caue.) *Similiter et hi uerſus ſunt quadrati τροχαΐζοντες.*

116 Voce grocibat.) *Expreſſa ſcriptura libri noſtri. In Nonio, crocire dicitur eſſe coruorum. Sed permutatio illarum literarum non eſt inuſitata.*

Foras, foras.) *Verſus hi etiam ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

Hem quid agis?) *uel, Heu quid agis.*

117 Emortuum.) *Verſus ſunt ſenarij iambici huius ſcenæ, itidemq; ſequentis prox. & mox tertiæ & quartæ.*

118 Tam duim, quàm perduim.) *Manifeſta ſcriptura in noſtro libro. ſentit autem ſenex, nõ daturũ quicquam illi coruo quod edat, nõ quidẽ magis q̃ perdere uelit aliquid. Duo aũt et duim, & perduim, ſunt ueteris formæ ſubiunctiuæ: ſicut & edit, pro dem, et edat.*

Vterum.) *In genere neutro, planè exaratum hoc reperimus in noſtro libro, quod & Nonius retulit. Niſi malit aliquis hoc dici, illa uterum dolet.*

119 Effodio aulam.) *Alij integrum exfodio: alij lenierunt, ut fieret ecfodio. Sic ecfertus. Sed effodio uerũ eſt. nam ad lectionem comparatur ſcriptio.*

Perij interij.) *Huius ſcenæ uerſus in dolore tumultuante ſene numeris confuſi ſunt. Sunt autẽ καταληκτικοὶ, δίμετροι, τετράμετροι, & βραχυκατάληκτοι, et ὑπερκατάληκτοι.*

120 Quis

120 Quis homo hic.) *Verſus ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί, præter ultimos quinq; hippo nacteos ſeptenarios.*

122 Inde poſces.) *Plana ſcriptura libri hæc noſtri. Nonius tamen indipeſces legit hoc loco: et interpretatur, petes, uſurpabis.*

123 Dij mortales.) *Verſus ſunt tetrametri trochaici & hipponactei. Et alij quidem admiſti breuiores: ſed de diſtinctione nihil affirmo. extant enim in noſtro libro exarati confuſius. In quo & ipſo his completa pagina, fine fabula deficitur.*

IN CAPTIVOS.

FAbulæ huic nomen Captiui duo, inter Plautinas omnes hæc & argumento & expoſitione opt. eſt & elegantiſsima. Ipſe etiam poeta hanc commendat, ut publicè ſcriptam. Multæq; bonæ ſententiæ in hac inſunt, & eximiæ fidei exemplum ſerui erga herilem filium. Cum enim bellum eſſet inter Aetolos & Auldenſes, capitur Philopolemus Aetolus Hegionis filius, itẽq; Aulidenſis Philocrates. Hunc Hegio unà cũ ſeruo Tyndaro emit, quòd ſperaret poſſe aliqua permutatione captiuorum recupare ſe filium ſuum. Sed inter dominum & ſeruum conuenit, ut ſeruus ſe dominum eſſe ſimularet. Ita dimiſſus æſtimatus Philocrates ut ſeruus, rediјt in patriam: Fraude detecta per alterum captiuum Ariſtophontem, uehementiſsimè iraſcitur ſenex, & Tyndarum compeditum in lapidicinas coniјcit. Hic erat filius ipſius, furto ſurreptus ætate puerili à ſeruo. Interea reuertitur

uertitur Philocrates, *& adducit filium* Hegionis, *& ſeruum etiam illum furem.* Itaq; *agnitus* Tyndarus, *in libertatem & familiam ſuam reſtituitur.* Perſonæ *fabulæ ſunt,* ἡγίων*, à ductu & principatu.* φιλοκράτης*, à ſtudio uictoriæ & potentiæ, quod eſt* κράτος. τυύδαρος *antiquum nomen Laconicum: qui &* τυνδάρεος*, pater* Helenæ, *quæ &* τυνδαρίς. ἀριστοφόντης*, ut* ἀριστοφόντης*, à cæde optimatum.* φιλοπόλεμος*, bellicæ rei, uel ipſius belli ſtudioſus.* σάλαγμος*, à ſtillicidijs ſeu guttis.* ἐργάσιλος *eſt* ἀπὸ τῆς ἐργασίας*, id eſt ab opere.* Fit *& horum mentio:* μενάρχου*, quo uirium & animoſitatis principatus ſignificatur:* θεοδωρομήδου*, in quo ſignificatio eſt diuini doni & intelligentiæ:* κολάφου*, ab alapa:* χορδαλίων*ος* *qui eſt* Cordalio, *abiecta aſpiratione, à fidiculis:* κόρακος*, corui.* Itemq; ἱππολύτου*, facti à diſtractione uel ſolutione equorum:* χορδάλου*, qui eſt & ipſe ſine aſpiratione* Cordalus, *à neruis uel fidiculis. Argumentum ita eſt ſumptum, quaſi res geratur in* Aetolia.

Argumentum *itemq; prologus, & deinceps duæ ſequentes ſcenæ, compoſitæ ſunt uerſibus ſenarijs iambicis.*

125 Negat hercle.) Expreſſa *eſt ſcriptura noſtri libri, ſed numeris deficientibus, ut uerſus non integer eſſe uideatur. Similiter & in eo quod ſequitur, mendicarier, mendum eſſe ſuſpicor, uel certè iudico. Eſt autem* ἀποστροφὴ *ad aliquem obſtrepentem prologo de ultima cauea.*

Cum Aulidis.) *Et numeri labant, &* Aulidis *pro* Aulidenſibus *durum eſt, quod tamen mox iterum atq;*

iterum

iterum legitur: niſi αὐλιδεὺς *&* Latinè Aulideus, *ſicut* Atreus, Plautus *feciſſe uideatur.* Vereor *igitur, ut hic emendatus uerſus ſit, cum quidẽ de uera ſcriptura nominis iſtius omnino dubitem.* Et *conſtanter in uetere libro initium illius non aul. ſed al. extat.*

126. Hiſce.) *id eſt, iſti. ut,* Hiſce *hoc munere ſuam eſſe* Thaidem *arbitrantur.*

127 Vbi res prolatæ.) *Et pro Murena, rebus prolatis: & ad* Atticum *lib.* 7. Rerum *prolatio apud* Ciceronem, *ſignificatur negociorum ſuſpenſio, & iuriſdictionis ſilentium, uel iuſticio indicto belli temporibus, uel ferijs & uacationibus.*

129 Tranquillaui gratijs.) Nunquã *exhilaraui illum abſq; præmio aut mercede.* Gratijs, *gratis: ut ingratijs, ingratis.*

Oſſa atq; cutis.) Prouerbialis *hyperbole de macilentia. ut* Apollonius Argon. 2.

— πίνῳ τέ οἱ αὐσταλέος χρὼς
ἐσκλήκει, ῥινοὶ δ' οἶα ὀστέα μοῦνον ἔεργον.

Tũ deniq;.) *Elegans ſentẽtia* Sophoclea *illa quidem* Aiace, *etſi* Plautus γεννικώτερον hanc pronũciauit.

οἱ γὰρ κακοὶ γνώμαισι τἀγαθὸν χεροῖν
ἔχοντες, οὐκ ἴσασιν, πρίν τις ἐκβάλῃ.

136 Poſteaquam.) *Ex ſcriptura noſtri libri colligitur huius uerſus lectio talis:* Cui obtigerat, *poſtquã captus eſt* Philopolemus *tuus. quam, quòd uera uideretur, omnino indicandam duxi.* Hoc *aũt ait, cuicũq; obuenißet epulandi prouincia, eum illam recuſare ac fugere.*

Age ſis roga.) Voca, *inquit* Paraſitus, *me, ſi uidetur.* Niſi, *inquit ſenex, alia melior conditio offeratur.*

Imò

Imò hæc, inquit Paraſitus, maximè placet At ego, inquit ſenex, certis legib. te uoco, perinde ac ſi fundum uendã. Imò tu exultabundus, paraſitus inquit, profundum uendis: id eſt, plus quàm fundũ. Sed ſenex hæc concludens, Abi modò, inquit, & lautius aliquid ſequere, nũc rem tenes. Hæc ita παρέφρασα, ut ſententiã uenuſtam & conſentaneam eſſe apparet, eorum uerborum quæ de noſtro libro curaſſemus exprimi. Huic autem, Nunc i, rem tenes: ſimile quodammodo eſt Horatianũ illud, Nunc i, rem ſtrenuus auge. Aſper autem uictus, is eſt quem Græci ἀκανθώδη uocarunt.

131 Si di immort.) *Verſus ſunt huius ſcenæ dubijs & incertis numeris, breuiores & lõgiores: de quibus minus uerborũ ideo faciendum putaui, quia ratio eſſet horum inexplorata.*

Multam miſeriam additis.) *In noſtro libro ſcriptura erat corrupta hoc loco, nos coniecturam ſequentes hoc fecimus.*

133 Iam ego reuertar.) *Verſus huius ſcenæ ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

134 Sunt'ne optumæ.) *Ita quidem ſcribitur hoc uocabulum in noſtro libro: ſed in mentem uenit rectius fortaſſe eſſe, opimæ, ex eo quod ſequitur: & de noſtro fideliter expreſſum eſt, Vnde excoquat ſeuum ſenex. ſignificat enim, pingues eſſe diuitias: id eſt, illum patrẽ Philocratis τῶν παχέων.*

Theſaurochryſo.) *Luſit more ueteris comœdiæ, in mirifica nominis compoſitione. Eſt autem huius ſignificatio, theſauri & auri, & uictoriæ. Si autem ſcribatur theſaurochryſonychochryſides, unguis*

erit

erit ſignificatio in nomine.

135 Eſt profectò.) *Sophoclea ſententia de Electra, ἐϛὶ μέγας ἐν ὐρανῷ ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα.*

137 Quæ res bene.) *Verſus ſunt ab initio huius ſcenæ, 24. ſenarij iambici.* Reliqui *ad finem uſq;* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.

139 Cum apud.) *Fortaſſe, quoniam ſcribetur rectius, ut plenius numeri procedant.*

140 Id ut ſcias.) *Laudo, Nonius ait ſignificare nomino.* Hiat *autem uerſus.* Eſt *quidem & Græcis* αἰνέσαι, *tam celebrare oratione, quàm promittere.*

Fac fidele ſis.) *Nonius pro fideliter ait poſitum. In noſtro libro planè extat, fac fidelis ſis: & iudico eſſe uerum, inq; eo deceptum Nonium, quòd ueteres, cũ ita præſcriberent omnia, ſicuti pronunciatione efferebantur, corripientes hanc ſyllabam eliſa litera, s, ita protuliſſe uideantur.*

Et tua & tua.) *διαιτικῶς: id eſt, utriuſque ex ſententia.*

141 Efferat ſine.) *Verſus numeris deficiens, neq; integer, ut uidetur.*

Miſer homo eſt.) *Quadrati uerſus ἀκατάληκτοι & καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.*

Ilicet paraſ.) *Imperfecta oratio. In crucem ire iã licet arti, inquit, noſtræ.*

Laconas plagipatidas.) *Iocatus fuit de ſolenni uerberatione puerorum Laconicorum. Plagas autẽ pati ſe poſſe negat ille in Eunucho Terentij.*

142. Barbarica lege.) *Romana de uetitis coitionibus.*

Quid

Quid eſt ſuauius.) *Verſus ſunt confuſi numeris, & fortaſſe minus exquiſitè diſtincti. habent autem crebras* καταλήξεις.

143 Nunc illud eſt.) *Verſus huius ſcenæ quadrati ſunt pleriq;* ἀκατάληκτοι.

Necꝗ exilium.) *id eſt, exitio. Atq; hoc aſcriptum interpretationis loco, in uerſum ab imperitis inculcatum fuit.*

Occidam.) *Hic, ut & alij quidã huius ſcenæ uerſus, eſt* καταληκτικός. *Si tamen eſt integer. &, quæ finale,* διαιρέσει διασύλλαβον.

Niſi ſi meo.) *Vereor ne quid in hoc uerſu uerborum deſideretur. Vltimus autem huius ſcenæ planè mihi uidetur eſſe mutilus.*

144 Quo illum nunc hominem.) *Verſus ſunt quadrati, ſed pleriq;* καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες,

146 Fit opus.) *Planè exarata hæc ſunt in noſtro libro. hoc autem dicit, iam illum furore corripi.*

147 Ornamenta.) *Plana ſcriptura in noſtro, & uera: id eſt, ornatus ſcenicus. Morbum autem comitialem deſpui, ſuetum eſſe Plinius etiam ſcripſit lib. 10. cap. 23.*

149 Inijcite.) *Scenæ huius uerſus ſunt* τρίμετροι ἀκατάληκτοι ἰαμβικοί.

Decet innocentem.) ἄνευ ἐκθλίψεως *pronunciandus uerſus; ut numeri procedant.*

150 Facito ergo.) *Apud Acherontem fac ut celebreris laudibus. Eſt autẽ Plauto Aggeruns, is qui* ἀχέρων *Græcis. Et mox, Qui per uirtutem peritat, non interit. Expreſſa ſcriptura eſt libri noſtri, ac* διαιρέσει,

qui fiet διοσύλλαβον. *Apud* Noniū *refertur uerſus ita: Qui per uirtutem perit, at non interit. docet enim, multū intereſſe inter perire & interire. Mibi uenit in mentem, poſſe ſuſpicari aliquem, legendum, perbitat. ita illā* διαίρεσιν *adhibere non fuerit neceſſe.*

151 Cotidianos ſeſq.) *Id eſt, cotidie præter illos amplius dimidio, qui erunt* 12. *eſt enim hic numerus* ἡμιόλιος, *id eſt ſeſqui ad* 8. *& paulo antè effodint, pro effoderint: ut edim, ederim.*

153 Iuppiter ſupr.) *Verſus huius ſcenæ ſunt* τετράμετροι, *pleriq;* καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

Max. opim.) *Expreſſa ſcriptura libri noſtri. In Nonio & hic locus, & alter de Aſinaria adducitur, & legitur optimitas ab optimo, corruptis libris à librarijs, ut apparet.*

Quanto in pect.) *Huius ſcenæ uerſus à principio* 10. *miſtis pedibus iambicis & trochaicis,* τρίμετροι καταληκτικοὶ *ſunt.* Reliqui quadrati ἀκατάληκτοι & καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

154 Quencꝫ offend.) *Vel potius quenquam, id eſt quencunq;.*

Furfuri ſues.) *Sicut parti miſcetur in ūna: in Ciceronis uerſu, mutato e in i longum.*

Subbaſilicanos.) *Qui ſub baſilica uerſantur.* ὁ δὲ κάτω τὴν βασιλικὴν ὑπὸ τὸ βουλευτήριον τῇ ἀγορᾷ παρέβαλε, καὶ πορκίαν ἐκάλεσεν, *ait* Plutar. Catone.

Surpiculis.) *Id eſt, naſſulis de ſirpis. ut* Propertius, *Sirpiculis medio puluere ferre roſam. id eſt, ſportulis ſirpijs.*

In portu cibus.) *Priſcianus lib.* 6. *genitiuum hūc*

eſſe

eſſe uult, ut ſit tantus commeatus cibi.

155 Reſpice.) *Hi continui quatuor uerſus, neſcio in quos alios numeros deflectũtur.* Nos *ſcripturam noſtri libri editione ſequi uoluimus.*

Epulas fou.) *Cũ animaduertiſſem* Hermolaũ Bar *bar. in corrolarijs ſuis hoc loco feciſſe* Ebulas, *indicãdũ & ipſum putaui, quamuis quale eſſet non intelligerem.*

157 Mantiſcinatus) *Planè in noſtro libro hoc perſcribitur, ideoq; mutare noluimus.*

158 Illic hinc abijt.) *Similes hi ſunt uerſus uerſib. prox. ſuperioris ſcenæ*, *τετράμετροι*, *quales & mox ſequentis ſcenæ.*

Aduenien deturbauit.) *Hoc quidem integrè perſcribitur in noſtro libro, ſed numeri requirunt συναλοιφὴν, ut fiat deturbat. & mox, penum aliud ornet.* Priſc. 5. *Curet.*

Ioui dijſq́.) 12. *uerſus ab initio ſunt numeris permiſtis* Iambicis *& trochaicis, τρίμετροι καταληκτικοί.* Reliqui *τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί. itidem ut mox ſequentis ſcenæ.*

161 Acheronti.) *Sed antiqua ſcriptura eſt* Aggeрunti, *&* Aggeruns, *mutata craſſa in mediam. ſicut ex* Phrygibus Bruges *facti fuerunt.*

Monetulæ.) *Hæc ſcriptura in noſtro libro extat, & monedulas à moneta dictas uolunt.*

IN CVRCVLIONEM.

HVius *Comœdiæ argumẽtũ eſt tenue et ſimplex, in ſola paraſiti fraude fortuita paulo plenius.*

Nam introducitur adoleſcens amans puellam à lenone auaro, quã ille quidem redimeret, niſi pecunia deeſſet. Hanc in Caria ſe poſſe mutuò ſumere, ſperans mittit illò paraſitum ſuum qui petat. Is pecuniam quidem, quam mutuò accipiat, reperit nullam, ſed annulum in potu ſuffuratur militis, à quo fuerat ad cœnam inuitatus. Atq; ut de eodẽ cognouerat, quòd emiſſet puellam à lenone, & pecuniam ſitam eſſe apud trapezitam, cõſignat annulo militis litteras: easq; trapezitæ reddit, atq; opera huius mulierem abducit, tanquam à milite miſſus. Venit poſtea miles, & ſe circumuentum, inq; ira ac indignatione mulierem illam ſororem eſſe ſuam cognoſcit. Itaq; petenti hæc datur Phædromo, & à lenone triginta minæ exiguntur. Res geritur Epidauri. Perſonarum dramatis nomina ſunt: Palinurus ſeruus, quod nomen fortè à cuſtodia deductum eſt, οὖροι enim cuſtodes ſunt. Martialis luſit in ambigua etymologia, fecit enim à meiendo. Vrinam autem τὸ οὖρον dixerunt. Sic igitur ille in Paulinum quendam:

Minxiſti Palinure ſemel currente carina:
Mingere uis iterum, nunc Palinurus eris.

Phædromus adoleſcens, uel ab hilaritate, id eſt, τοῦ φαιδροῦ, non uſitata deriuatione: uel ἀπὸ τοῦ δρόμου potius, cum initiali ſyllaba Phæ, quaſi φαίδρομος: non enim uideo quæ huius nominis alia ratio ſit. Planeſium, ἀπὸ τῆς πλάνης uſitatè factum. Cappadox, gentili nomine dictus. Curculio, ridiculè uel de gutture, cuius illa eſt appellatio, propriè ea parte, qua λάρυγξ eminet, quam in comedendo moueri cernimus: uel de uermiculis, qui in frumentis naſcuntur. In hoc nomine mutatum etiam fuit

c in g, ut Gurgulio fieret. Lyco παρωνύμως *à lupo, qui eſt* λύκος. *Choragus ſolebat ea præbere, quibus opus eſſet ad actionem fabularum. Penes hunc enim erat ſupellex ſcenica, & inſtrumentum ludorum. Therapontigonus, ſicut Antigonus,* θεραποντίγονος. *Poſtea fit glorioſius etiam nomen, Therapontigonoplatagidori, cuius ſignificationes exquirere nihil attinet. Sunt tamen* θεράποντος, & γόνου, & πλαταγίσματος, & δώρου.

IN ARGVMENTO.

Primum argumenti uerſum mendoſum eſſe, certum eſt. Sed omnino exiſtimo paulo ſic rectius lectum iri, ut ſubſcripſimus,

Curculio paraſitus Phædromi it in Cariam.

Sed hæc Caria quæ ſit, aut ubi terrarum ſita, quærendum, quò ille undeq; redire potuerit quatriduo. Sic enim ait adoleſcens,

Paraſitum miſi nudius quartus in Cariam,
Petere argumentum. is hodie hic aderit.

Nam in Cariam Ioniæ, Epidauro naui ueniendum fuit: neq; tā breuis traiectus eſſe potuit. Verſus ſunt ſenarij iambici.

164 Quòd ted hoc.) *Interpoſitam d literam, ut ſæpe alibi, ita & hoc loco in ueteri libro reperimus, ſeparandarum uocalium gratia. Verſus huius ſcenæ ſunt iambici Senarij: id eſt,* τρίμετροι ἀκατάληκτοι.

165 Nec me ille ſinit.) *Id eſt ſinat, antiqua forma uerbi: ut edit, pro edat. Etſi alicubi ſirit, pro ſiuerit reperitur. Sed in ueteri libro planè legitur, ſinit. & numeri tamen, ſirit, requirere uidentur.*

Id uti occœpi dicere.) *Hunc uerſum ita emen-*

dandum puto: Illi, ut occœpi dicere, lenoni ancillula eſt. uel, lenoni, ut occœpi dicere ei ancillula eſt. Paulo autem antè, oſtium occluſiſſimum, ſcriptum eſt perſpicuè in noſtro. Sed Sextus Pompeius ex Plauto citat, oculiſſimum oſtium amicæ, & interpretatur cariſſimũ. Quæ ſi eſt uera lectio, uel retinebitur m, in nomine oſtium, ne fiat colliſio: uel, occuliſſimum legetur, producta prima ſyllaba. quorũ ſanè utrũq; admodũ durũ, ac alij interſerũt; quæ lubuit. De Põp. aũt fortaſſe inſerendum alicui uideatur, amicæ: ut fiat, Huic proximũ illud oſtiũ amicæ Salue, ualuiſtin' oſtiũ amicæ oculiſſimũ? (oculiſſimũ.

165 Malè iſtis eueniat.) ἐπισυναλοιφαῖς & συνιζήσεσιν, ut Grammatici uocarunt, expediendi ſunt uerſus huius numeri.

Quaſi ſoror mea ſit) Et ita hæc in noſtro libro ſcripta ſunt, & numeri æquabiliter procedunt. Sed ad tam, inferri quàm debuiſſe, fortè alicui uideatur, & ita quidam fecerunt, Quàm ſi ſoror mea ſit. hæc ſi lectio uera eſt, ſoror pronũciabitur quaſi μονοσυλλάβως.

166 Id eo fit, quia.) Pronunciandum, quia, per διαίρεσιν τρισυλλάβως. ut, Qui per uirtutem perit, nõ interit, qui δισυλλάβως.

Iniurius.) Id eſt, Iniurius es, συνηρημένως. ſicut uiſuſt, opuſt, & innumerabilia alia. Sicut & mox, quid facturus? id eſt, facturus es. Alicubi tamen reperi, Iniurium eſt: quod & ipſum retineri poteſt.

Quid antepones Ven.) Minus liquida ſcriptura in ueteri eſt libro, & ſic exaratus uerſus claudicat. Poterat integer fieri, ſi pro legeretur, non a, aut quid antepones iã. Idq; uerius eſſe puto. Nonius adduxit neq;

ipſe

ipſe uerſum integrum:ita, Quid antepones Veneri ientaculi. Mox autem legendum, Cedo puere ſinum : quem uocatiuum & Priſc.notat.

167 Voltis ne oliuas.) *Oliuas, quaſi oleas, aut* δισυλλάβως *pronunciandum.*

Flos ueteri uini.) ἀνθοσμίας *nimirũ fuit* οἶνος. *Verſus huius ſcenæ miſti ſunt confuſis pedibus ac numeris, plerique* τρίμετροι καταληκτικοὶ, & ἀκατάληκτοι: *etiã* ὑπερκατάληκτοι, *dimeter unus. De horũ tamen, quod ad numeros attinet, integritate, etſi eſt ſpes non peſſima, tamen quicquam certò affirmare non auſim.*

Sino ductim.) *Aduerbiũ hoc & Priſcianus annotauit, & interpretatus fuit* ἀπνευστὶ, *quod ſignificat in bibendo auiditatem & copiam.*

168 Semiſomnæ.) *Ita liquidè ſcriptum eſt in noſtro libro, ut ſit prima uox ſemiſomnus, ſicut exanimus.*

169 Peſſuli peſſumi.) *Vera eſt hæc lectio: & increpantur in perturbatione amoris peſſuli ab adoleſcente, qui cuperet aperiri fores.*

Sonum prohibe forum.) *Ab ablatiuo fore. Sunt aũt huius ſcenæ quatuor primi uerſus* τετράμετροι *confuſioribus numeris. Sed poſt illos oẽs uſque ad finem* τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοί, *ratiõe manifeſta.*

Vbi tu es, qui me lib.) *Hic uerſus in codice ueteri non extat. neſcio an ibi librarij negligentia omiſſus, an in editis libris ab aliquo inculcatus: ſed illud magis puto, negligentia omiſſum eſſe.*

171 Ilicet.) *uel ſcilicet. Sed ilicet eſt in noſtro. Quod ſequitur, Polluctus uirgis: ita in ueteri libro crebrò reperitur, non pollutus, ut uulgò legitur. Atque hoc quidem*

ſenſum ſimplicem habet, ſed illud uerius uiſum, propter antiquitatem. dicit enim polluctum uirgis, accumulatũ uerberibus: ut ara Herculis cum referta eſſet ijs quæ imponi de ritu religionis priſcæ ſolebant, tum polluctum illud dicebatur, quaſi proiectum, ut interpretatur Varro.

Aedituũ aperire.) Temerè inculcarunt particulam coniunctiuam, ut fieret, æditúumq́; aperire. Eſt enim imperfecta uerbis locutio, ut mox: Item alios deos facturos ſcilicet. & alibi quoq;. An uerum autem ſit, æditũ, uel potius æditimũ, quo uerbo ueteres uſos Varro ait, in medio relinquo. in noſtro lib. æditũ reperio.

Si amas, eme, ne rogites, facito uti.) Si amas eme, pes dactylicus. Si autem uti non legas, ſed ut, inerit in uerſu Iambus.

172 Præſepim ſuam.) Scriptũ eſt in ueteri, ad præſepe ſuum, falſò. nam & numeri repugnãt, qui ſunt uerſuum huius ſcenæ Iambici Senarij. Et Nonius Plautinum hunc locum, & alterum de Rudente adducens, ueteres uſos nomine in fœminino genere fuiſſe probat. Sed ibi præſepiam, & præſepias, pro præſepim et præſepis ſcripſere, ut opinor. nam puto illam formam eſſe τρισύλλαβον nominis, ut & in Caſina.

Chiræ omnes dolent.) Ita quidem omnino ſcriptũ eſt in noſtro ueteri libro. Sed quid ſit Chiræ? fibræ quidem erat aliquid, & potuit certè in archetypo ita eſſe, corrumpiq́; ſcriptura ab imperito librario. χιράδα, morbi quidem nomẽ inuenio apud Græcos, ſed nihil ad epar, aut lienem. Quæremus de hoc tamen loco amplius. Choriæ ſanè à me non admittuntur.

Expu-

Exputeſcunt.) *Ita planè in noſtro ſcriptum eſt. dixêre autē puteſcere et putiſcere uſitatiſſimè literarū illarum mutatione, ſignificatq́; uerbum fœtorem putredinis. Cic. lib. 5. de* Finibus: *Vt non inſcitè illud dictum uideatur in ſue, animi illi pecudi datū pro ſale, ne putiſceret. Ita enim* Nonius *hunc locum retulit. Eſt autem dictum* Chryſippi, *cuius meminit & in 2. libr. de* Natura Deorum.

173 Dierectus eſt.) *Vera ſcriptura expreſſa de ueteri noſtro libro. Significat autē certè uerbum cruciatum & diſtractionem: propriè quidem eorum, qui patibulo eſſent affixi.*

Hac nocte in ſomnis uiſus ſum uiderier.) *Id eſt, per quietem tale mihi eſt uiſum oblatum.* Dicunt *autem, uidere uiſus ſum, & audire uiſa ſum:* Terent. *Niſi uideri, ut alia quædam uerba antiqui etiam actiuè poſuerint, quod haud ſcio an nō fecerint. Si quid opitularetur, poterat ita ſcribi, ſententia uerbisq́; & numeris congruentibus,* Viſus ſum intuerier. *Poſſetq́; aliquis ſuſpicari huiuſmodi quiddam in archetypo exemplo, de quo noſtrum uetus deſcriptum eſt, fuiſſe, propter raſuras animaduerſas hoc loco. Niſi fortè uera ſcriptura ſit,* Viſus eſt uiderier. *& poſtea,* Aeſculapius.

174 Date uiam mihi.) *Dum ego hic of. complectenda, ut anapæſtus fiat. hæc quaſi confragoſitas uitaretur, ſi legeretur, officium hic meum. Sunt autem uerſus τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοί.*

In Hermopolio.) *Aliqui Thermopolio, aliqui audacius etiam Oenopolio ſcribi hoc loco curarunt. ſed Hermopolij manifeſta eſt in noſtro ueteri libro ſcriptu-*

ra,tã hìc,quàm in Trinummo.*Etſi autem de hoc uerbo non habeo,quid præterea commemorem,tamen eſt cõiectura in promptu, ſignificari tabernam,ſeu cauponã lauticiarum ac cibi ac potus exquiſitioris,quia* Mercurij *quondam numen mercimoniorum habitum fuit: etenim* ἐμπολαῖος *& cauponarius ille inter alia nomina uocatus, & fortaſſe ante illas tabernas etiam ſimulacrum illius poſitum fuit.* In Rudente *quidem patet legendum eſſe thermopolium de oppoſita eo in loco mentione frigoris*. Itaque *& in hac fabula &* Trinummo, *ſi quis eandem fortè ſcripturam maluerit, retineat is ſanè licet.*

173 Obſorbeam.) Vel *ἐκλειπτικῶς,ut abſorbeam:uel in futuri temporis forma, obſorbebo.* Nam *ſorbere fuiſſe,ut ſoluere, intelligi poteſt de* Nonio,*qui docet dixiſſe aliquos exorbebo, pro exorbeam.*Quod *quidem mirum uidetur:nam uerba de ſecunda coniugatione tranſeuntia in tertiam,ſolent etiam mutare terminationem.ut ferueo,feruo.oleo,olo.excelleo,excello.* Sic *eſſet ſorbeo,ſorbo,ſorbam.*

176 Vaciuitate.) *Vera ſcriptura, quam numeri exigunt:ita & in* Caſina,*ædes uáciuas dixit.* Lactes *autem ſunt* γαλακτίδες. Priſc.lib. 6. Ioco *autem dixit,*La*ſſis lactibus,ſicut lippire fauces.aliqui tamen maluerunt laxis.*

Pernam abdo.) *Aut glandium ſuis, legetur: aut* διαιρέσει *numeri expedientur. niſi uerius fortaſſe uideatur, ſuillum: callum enim inculcatum temerè eſt.*

Video

Video tuum ſodalem.) *Scribendũ hoc in uerſu, Faciat copiam. Ita & in ueteri noſtro uerba poſita ſunt, & numeri æquabiliter procedunt.*

177 Neque diem decet memorari.) *Ita eſt in noſtro ſcriptum, ſanè obſcuriore ſenſu. Quidam diſtraxerũt, & fecerũt duo uerba. ita erit opus ad expediendos numeros συναλοιφῇ. ut & in uerſu præcedente, Adeamus ac decepoßit etiam alicui in mentem uenire, ueram eſſe ſcripturam, remorari.*

Herculem.) *Planè hoc in noſtro libro ita ſcriptum eſt nomen. Iocatur autem paraſitus in inuocatione nutricis, ſcurrilitatis nimirum ac paraſiticæ. Qui uerò iactus Herculis baſilici fuerit, & uulturiorum, quæramus.*

Panem & aſſa.) *Ita reliquimus, ut liquidò exaratum reperimus in noſtro libro. Sed Nonius Marcel. in genere neutro legit, pane. & ſanè ordo uerborum nominatiuum exigere uidetur. Atque haud ſcio, an de ſcriptura antiqua Nonius putarit genus fuiſſe mutatum, quemadmodum & alibi ſimilia errata deprehenduntur. Eſt enim, Panis &, συναλοιφῇ καὶ ἐκθλίψει, panet. Sed conſideretur ſanè hoc diligentius, & ſi ita eſſe mihi propemodum uidetur.*

178 Si magis me.) *Mi potius legendum eſt.*

Incomities.) *A' comitio, ut Pomp. docet. Verſus autem ſunt huius ſcenæ omnes Iambici ſenarij.*

179 Vbi machæra diſicit.) *In ueteri noſtro libro deßicit legitur, de quo illud fecimus. Poterat & diſijcit, ſcribi. ut traijcere dixerunt. In Nonij editis libris,*

diligit

diligit legitur: & interpretatio, diuidit. In Feſto *etiam hoc, dirigere pro diſcindere reperitur apud* Plautum.*re linquitur igitur res dubia & incerta.*

Iſti ægi.) *Sæpe reperitur iſti pro iſtic, ut hoc loco manifeſtè in noſtro ſcriptum eſt, & numeri abeſſe c poſtulant.*

180 Halophantam.) *Nonius non interpretatur nomen, hoc quidem uerſu adducto.* Feſtus *autem* ἀπὸ τῆς ἄλης *deduxit, quam interpretatur* πλάνην, *& habere ait omnia.* Itaq; Halapantam *ille ſcripſit. Sed ſunt profecto ineptiæ iſtæ.* Nam *neq; forma talis compoſitionis cõſentanea, neq; hoc nomen* ἄλη *craſſum eſt. Luſiſſe igitur magis puto* Plautum *ficto nomine de ſale, re & ipſa uili, ut alterum fictum eſſet de ficis.* Verſus *autem hic, et ipſe alicubi adhæreſcit. Scena quidem hæc habet uerſus* Trochaicos Archilochios.

181 Cloacinæ.) *Cluacinæ* Veneris, *mutatione nota. Quid illud autem ſit, apud* Leucadiam Oppiam, *& quo modo hic uerſus inculcatus hoc loco, neſcio.*

182 Eum rem fidémque.) *In tametſi & nihil numeri impediuntur. Sunt autem huius ſcenæ uerſus* Hipponactei.

183 Nec daturus ſum.) *Sum retinebitur, ut fiat, ſum idem eg. pes dactylicus. Sunt autem huius ſcenæ uerſus* Trochaici Archilochij.

Quas tu tabulas.) *Si uera eſt ſcriptura, de quo dubito, pronunciandum* κατὰ συγκοπὴν *tablas. Sed in noſtro ita ſcriptus eſt hic uerſus,*

> *Qui has tabellas obſignatas attulit. quas tu mihi tabellas?*

De qua

De qua ſcriptura etſi alias etiam facio coniecturas, hæc tamen eſt præcipua, tabellas, aliquem aſcripſiſſe explentem ſenſum. Plautum autem feciſſe, κατ' ἔλλειψιν, quas tu mihi? nimirum tabellas. Mox autem, Qui habēt, qui pronunciandum διοσυλλάβως.

184 Ne trapezita exul abierit.) *Id eſt, ne abeat, ait enim ſe uelle anteuertere. Verſus ſunt ſimiles uerſuum præcedentis ſcenæ.*

Meæq; pugnæ præliares plurimæ obtritæ iacent.) *Sic eſt exarandus continuatis uerbis hic uerſus. Vocat autem glorioſè pugnas præliares. In ſequentibus uerſibus numeri hærēt. Ac ſuſpicor deeſſe aliquid. Sic autem uerſus diſtinguentur,*

At ita me machæra & clupeus,
(Quem quidem mutilum eſſe puto)
Bene iuuant pugnantem in acie, niſi mi uirgo redditur.

185 Linteumq; exterſum.) *Hic erit uerſus τετράμετρος βραχυκατάληκτος. Sed uideo tamen hos uerſus ſic poſſe diſtingui,*

Bene me amaſſint, meaq; axicia, linteumq; exterſum, uti
Ego tua magnifica uerba, &c.

186 At mea matertera.) *Hic uerſus & ſequens mendis non carent. Vbi ſcribitur in exemplis uulgatis, Pater tuus rurſum tibi. in ueteri diſſipata uerba & literæ disiectæ nihil intelligere patiuntur. Habent autem ſe ad hunc modum, ſi cui fortè lubeat in coniiciendo ſe occupare, Pater uois riſum tibi.*

Ego quidem.) *Quidem, τρισυλλάβως. Verſus ſunt huius ſcenæ* XXXV. *τροχαϊκοὶ τετράμετροι καταληκτικοί, Reliqui uſq; ad finem, Senarij Iambici.*

187 Nu-

187 Nutrix quæ fuit?) *Fuit Iambus. aut legendum, fuerat? aut, quǽ nam fuit?*

189 Hoccine pacto.) *Atq; τρισυλλάβως; ut numeri ſeruentur, qui ſunt uerſuum huius ſcenæ Trochaici Archilochij.*

190 Recipe actutum.) *Aut ἀσυναλείπτως pronunciabitur, pe ac: aut legendum, Recipito.*

IN CASINAM.

HVius fabulæ argumentum ut eſt feſtiuum atque bellum, ita admodū etiam turpe & obſcenum. Atq; exiſtimo illa, quæ in noſtro libro ueteri omiſſa plurima animaduerti, relictis ſpaciolis paßim quibuſdam, quòd non ferrent aures piæ, ideo exarata non fuiſſe. Nam ueteres comici ſtudio quodam ſingulari obſcenis iocis indulſerunt, faciente has delicias ſatana in mundo, inter hæc impuritas uitæ minus ut uitaretur, & immunditia cordis, ut à Dei conſpectu auerteret homines. nam Chriſtus ita dicit: Beati mundo corde, quia Deum uidebunt. Ab illa igitur ſpurcitia auertamus oculos & mentes noſtras, & utilia atq; bona quaſi margaritas de ſtercore legamus, è talibus ſcriptis: quæ ſatius erat nunquam inſpici, quàm inſtrui his leuitatem & libidinem animorum, Sed de his nunc ſatis. Introducitur in hac fabula quidam ridiculus amator ſenex, & illius ſodalis, quaſi receptor flagitioſi uicini. horum facinora deprehenduntur à mulieribus, et uariè ſenibus illuditur. Sortitio etiam ineſt, ut in Græca fuiſſe apparet de nomine, nam κληρουμένων illam appellatam in prologo dicitur, nimirum de aliqua, qua de ſortitio fieret. Chalinus

autem

autem ſeruus, à uerbo χαλῶ, *ut puto:unde &* χαλινὸς *frenum ſeu habenæ.* Olympio, ὀλυμπίων, *ab* Olympo παρωνύμως. Cleoſtrata, κλεοστράτη, *facto nomine de gloria militari.* Pardaliſca *ancillæ nomen, à pardali, fera uaria, diuerſicolore.* Murrina, μυῤῥίνα ἀπὸ τῆς μύῤῥας, *quam murram dixerunt.* Stalino *qui ſit, aut unde factus, fateor me ignorare. Eſt uerbum* στέλλω. *eſt aliquid* σταλίς. *ſed ille* σταλίνων *quis? quæramus igitur.* Alceſimus, ἀλκήσιμος, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς.

IN PROLOGO.

Ante argumentum prologus poſitus in noſtro libro eſt. In quo integer legitur hic uerſus. Antiqua opera, etc. in aliquibus exemplaribus omiſſus. In quo quidem, antiqua τετρασυλλάβως *pronunciandum, ut ſit locus* συναλοιφῇ. *Sunt autem uerſus, ut ſolent in prologis, Senarij Iambici.*

192 Alienum æs.) *Aut alienum æs, non colliſis ſyllabis. aut aes,* διῃρημένως *pronunciandum, quod magis puto. mutatores iſti uerſum fœdè corrupêre.*

Cum latranti nomine.) *Is erit Marcus, quod habet initialem ſyllabam eius ſoni, qui eſt canum irritatorum. Fabulæ autem nomē Latinum eſt Caſina. quod uocabulum, niſi fallor, ſignificat ſcortillum. Nam* κάσαν *ſcortum interpretantur: inde eſt* κασίνα, *& duplicato* νν, κασίννα. *Sicut* κόρη, κορίνα, *&* κορίννα. ἦρ, ἠρίνα *&* ἠρίννα.

Eſt ei quidam.) *Aut ei pronunciabitur priore ſyllaba lōga, aut ſoluetur, qui, ut fiat, quidā,* τρισύλλαβον.

193 Filius autem arm.) *Hiat uerſus, &* διαίρεσιν *requirit. Sed hæc iam deinceps parcius monebimus,*

relinquen-

relinquentes diligentiæ eorũ, qui in his obſeruandis nõ omnem operam ludi putauerint

Reuortar ad ill.) *Sanè in hoc uerſu, etſi numeri* διαιρέσει *poſſunt ſuſtentari, deeſſe tamen ſyllabam puto poſt nomen hoc, puellam, aut in fine uerſus, iam, ubi quidem erit* διοσύλλαβον.

194 Quaſi umbra quoquò.) *Si quocunque, eſſet, ſimpliciter numeri progrederentur, qui ſunt ſimiles uerſuum priorum Senarij Iambici: nunc* διαιρετέον *poſterius, quo, ut* διοσύλλαβον *fiat.*

Quid in urbe rept.) *Manifeſta ſcriptura. eſt autem ironia, ita neq; mutato aduerbio, neq; inſerta negatione opus fuerit.*

Abi rus abi.) *Abi* μονοσύλλαβον. *Quod ſequitur quàm tu eius potitor fias, ne quid diſsimulem, pro eo in noſtro ueteri libro eſt, quàm tu eius potior fias. quod indicãdum putaui, ut de hoc qui uellet, cogitaret. Quãuis enim edita ſcriptura commoda eſſe uideatur, illam tamen ueterem non auſim ſimpliciter repudiare. Item ſequenti in uerſu, In laqueum induas: eſt & in noſtro libro, et ſuſpicor tamen abundare præpoſitionem in uerbo, & uerius eſſe, In laqueum duas.*

195 Ruri tu eruom.) *In noſtro euteri ſcriptura hoc loco liquida non eſt, & exaratæ ſunt hæ literæ, acer: uenit igitur de acere in mentem, ut arbitraremur quærendum, ſcriptúmne reliquiſſet Plautus, niſi tu ruri acera com. Locutio autem eſt hoc loco* ἐλλειπτική, *ut intelligatur, nihil eſt. Quædã autẽ in his uerſibus temerè & perperã quidam mutarunt: de quorum audacia nihil dicam, cum uera nos ediderimus. Redibo autem dixiſſe*

xiſſe ueteres pro reddam, notauit & Nonius, *teſtatus etiam hunc locum Plauti.*

Noctu ut condignè te.) *Vera ſcriptura. Aliqui recubes mutarunt. aliqui tigna inſerſerunt, de* Feſto, *ut aiunt. attribuit autem caſum nominis aduerbio, quod* & Græci *frequenter* & Latini *non raró fecerunt.*

196 St. tace.) *Vox ſilentium imperans.* Huius *autē ſcenæ* & *ſequētis uerſus, numeros habēt* συγκεχυμένους. *ſunt autē* τρίμετροι ἀκατάληκτοι & καταληκτικοί. De *quorū integritate nō nimiū cōfido ſtudio* & *diligentiæ meæ. nam in ueteri erant perturbatiſſimi. In aliis mediocrem nauatam à nobis operam eſſe ſpero.*

198 Myropolas omnes ſol.) *Huius ſcenæ uerſus* & *ipſi habent numeros confuſiores. ſunt autem* τετράμετροι, *aliqui admodum longè excurrentes, aliqui non prorſus expleti. Sed* & *de horum integritate atq; reſtitutione, nihil certi polliceri poſſum.*

199 Vnguenta dolent.) *Interpoſitum d, dirimendarum uocalium gratia. Etſi, ut uerum fatear, in ueteri noſtro legitur, unguenta adolent. ſed illud adolent hoc loco non agnoſco.*

Adeſt mecaſtor.) *Ita quidē in noſtro ſcriptū eſt. Sed quod ediderunt aliqui, id eſt, nequaquam diſplicet.* Paulo *autem pòſt legendum eſt, fieri id facias, quàm aduerſere contrà, qua de re?*

Relinque aliquant.) *Ab hoc uerſu reliqui huius ſcenæ, ſunt manifeſta ratione* Trochaici Archilochij.

Mirum ecaſtor.) *Legendum,* Mirum *mecaſtor.*

201 Cœlibem eſſe te.) *Si legatur, tete, non ſit neceſſe* Iambū *admittere hoc in uerſu, qui eſt, ut alij huius*

ſcenæ, Trochaicus Archilochius.

203 Emiſsim titiuilitio.) *Emißim, id eſt, emerim. Feſtus titiuilitium ait eſſe nullius ſignificationis, ut apud Græcos σκινδαψὸς & βλίτυρι. & adducit hunc uerſum paulò aliter, hoc modo,*

Non ego iſtud uerbum emſitem titiuilitio.

Immò iſtunc.) *Deſunt pauca uerba, in quibus reſtituendis noluimus impendere operam noſtram, cum nihil haberet res difficultatis. nunc ſic ſenſus ſat bonus eſt, deficit autem uerſus pedibus duobus. Nam huius ſcenæ uerſus & ipſi ſunt Trochaici Archilochij.*

204 Iam mittam.) *Alij ponam. ſed neque hoc, neque illud in noſtro libro legitur, ubi hic uerſus mutilus eſt.*

Vnum.) *Vt notam hanc fuiſſe intelligamus inciſam ligno. Quæ quidẽ ſcriptura liquidè extat in noſtro lib. & mox, alia ſortis eſt apud Priſc. lib. 7.*

Canem & furcam.) *Ita manifeſtè ſcriptum eſt in noſtro libro. Alij camum, id eſt κημὸν ediderunt. ſed illa eſt uera lectio.*

205 Delicuerit.) *Delicuerit, τετρασυλλάβως. ad Creſphontis autem fraudem hæc referenda. de qua Pauſanias Meſſeniacis.*

Oblexis man.) *Ita quidem exaratum uerbum reperitur: ſed quærendum, ſit'ne potius obiexis, id eſt obieceris.*

De labore pect.) *Vera ſcriptura, & ſenſu congruo, & numeris conuenientibus, neq; mutatione corrumpenda.*

206 Atq; à me prod.) *Id eſt, domo noſtra. ut,*

eamus

eamus ad me omnes. Verſus ſunt Senarij Iambici.

207 Hunc Acheruntem.) *Acheruntē etiam dixerūt,ut antè indicauimus:certè prima etiam in hoc nomine ſyllaba producitur.ut credibile ſit priſcos* Aggeruntem *protuliſſe.*

208 Lepidas lolligiunculas.)*Ita in noſtro hæc leguntur. Sed lolliguncul as uerum eſt:ut & Priſc.lib.3. docet. Lepidas autem dixit nō* ἐπιθετικῶς *illos piſces, ſed eſt hoc nomē certi generis,uel eorū qui* λεπιδωτοὶ, *uel uerius eſt, lepadas. quæ inter cocleas nominantur.* ἡ δὲ λεπὰς ὄστρεόν ἐστι κοῖλον, ὅπερ ἐπειδὰν λάβηται πέτρας ἀπισχυρίζεται,*ſcribit Syneſius fratri.*

209 Sciam nunc ſpec.) *Hi tres uerſus utcunq; numeris quibuſdam decurrunt.ſed in noſtro libro mendoſi,&,ut opinor,mutili ſunt.ideoq; pro planè reſtitutis non habebuntur.*

Memineris uerſus.)*Retinuimus ſcripturā editā, quod in ſcriptura ueteris libri planè eſſent,mihi quidē, tenebræ.*

Attate.)*Increpantis uox,liquidò ſcripta in noſtro, & temerè ab audaculis iſtis mutata.*

210 Salue Cleoſtrata.) *Et hoc uerſu ſyllabæ pluſculæ,ut numeri procedant,cogendæ ſunt:id quod iamdudum negligentius monemus.*

Vin' uocem.)*Si eſſet integrum,uis'ne uocem? non ineſſe* Iambi *uiderentur,in uerſu* Trochaico. *tales enim ſunt uerſus huius ſcenæ* Archilochij *quidem ſimiles uerſibus ſuperioris ſcenæ.*

211 Ornata res eſt.)*Reſt* συναλληλισμένως.*Et mox uerſus ſunt huius ſcenæ* Senarii Iambici.

Non matronarum off.ſ.m.) *Legendum, non matronarum eſt off. Rectè autem ſcriptum, meretriciũ, & ita eſt in noſtro ueteri, κατ' ἐναλλαγήν. Quale hoc, νεσορέη παρὰ νηὶ πολυγύγνέ© βασιλῆ©.*

Larua ludificatus eſt.) *Appoſitione hæc conſtructa ſunt, Vt illic ſcelus. Verſus huius ſcenæ ſunt Senarij Iambici.*

Vaciuas ædis.) *Id eſt, uacuas ædes. liquidò ſcriptum ita in noſtro codice, & numerorum ratio ita expedita eſt.*

212 Atq; occaſio.) *Vera ſcriptura. Eſt autem locutio συλληπτική. ego, inquit, pereo: & occaſio perit, id eſt amittitur.*

213 Niſi hæc meraclo.) *Sic enim ſcribendum, & ita in ueteri noſtro libro legitur, niſi quod, ut ſæpe alibi, c penè detortum eſt in g. eſt igitur meraclum, meraculum: ut uinclum, uinculum. Sed flore libyco quid? Sanè eſt ſcriptura hæc in noſtro euidens. & quamuis ſcirem, florem liberi, eſſe uinũ apud Plautum: tamen ueteris libri ſcripturã curauimus exprimi. Maluimusq; de illa ſtudioſos quærere ac cogitare, quàm mutare inexplorata re, & facere flore liberi, præſertim cum de Libya fruges allatas legiſſemus in Feſto. Sed rem in medio nũc quidem relinquemus, illa quidem monſtra correctionũ omittentes. Habent autẽ uerſus huius ſcenæ, confuſiores numeros, quadratos illos quidem & ſeptenarios, ſiquidem rectè diſtincti ſunt, de quo ſanè non uolumus eſſe obligatam fidem noſtram.*

214 Occiſurum eum.) *Et poſtea, te occiſurũ ait. Hanc ueram eſſe ſcripturã, & Gellius docet, & Priſcianus*

nus multis exemplis adductus, libro 9.

215 *ὢ ζῶ.) Manifeſta ſcriptura in noſtro ueteri, & uera. Eſt autem confuſio in uerſibus huius ſcenæ ſimilis ſuperiori.*

216 Sed nimium lep.) *Si nihil deeſt, hic erit uerſus δίμετρος ἰαμβικὸς κατὰ συγκοπὴν, ut fiat diſſimulant. Alij autē huius ſcenæ τρίμετροι ſunt, hisq́; ſequentis ſcenæ uerſus ſimiles.*

217 Coruitant.) *Alij ſcripſere Corbitant, à corbita grandiore naui oneraria: ſed poteſt à coruis eſſe, & ratio numerorū mediā ſyllabā collidit. Animaduerti quibuſdam placere, corbitam tibi. de quo licet quæratur.*

Atq; adeò haud ſitio.) *Inferſerunt quidā, parū, ſine cauſſa. Nam ita uehementer ſe eſurire dicit uillicus, ut ſitim nullam ſentiat. Verſus autem habent numeros quadratos & ſeptenarios, ratione quadam implicatiore, de quibus rem in medio relinquimus.*

218 Impercito.) *Euidens ſcriptura in noſtro libro hæc eſt. Sicut in Amphitruone, atq; tibi imperce: id eſt, ne ſis erga hanc inclementior. Et mox, melliculum: ità & in noſtro legitur. Sed Priſ. lib. 3. melculum uidetur legiſſe, à melle: ſicut à felle felculum: à uere uerculum.*

219 Accepte bene & commodè.) *Verſus ſunt τρίμετροι τῶν συγκεχυμένων, & habent καταλήξεις.*

220 Irridiculum.) *Appoſitione, id eſt, ludibrium ſumus. Scenæ ſequentes & uerſus multos mendoſos & mutilos habent, & multa paſſim deſunt, de induſtriáne omiſſa, an fortuitò amiſſa, neſcio. In his igitur reſtituendis experiri ſtudium noſtrum noluimus.*

222 Caninam cœnam.) *In uetere libro nō in-*

tegris litteris erat, ſcæuam. Quod nomen an huic loco conueniat, licet conſideretur.

Teuchonico.) Neſcio quid nominis hoc dicã eſſe. & in ueteri noſtro ſcriptura erat minus plana. τειχόνικος, erat de mœnibus. τευχόνικος, ab armis eſſe poteſt. Teuthonicus neſcio quid. τηθυίνικος, Tethynicus, ut propè eſt in noſtro, ἀπὸ τηθύος τῆς θαλάσσης, nimis anxiè exquiſitum. Verùm fortaſſe ſit, nubet Euthynico. id eſt τῷ εὐθυνίκῳ. In quo nomine eſt ſignificatio expeditæ uictoriæ.

IN CISTELLARIAM.

NOmen habet fabula à ciſtella, quam amittit in hac ancilla, & reperit mulier, mater eius puellæ, cuius in illa crepundia inerant. Ita agnoſcitur amica adoleſcenits, & illi nubit. argumentũ eſt ſimplex, & admodum tenue. Inſertus eſt motus inſani amoris. Nomina autem perſonarum dramatis hæc ſunt. Silenium, σιλήνιον, deminutũ ἀπὸ τῆς σιλήνης. Quod Lucretius lib. 4. nomen memorat. Simula, σιλήνη ac ſatyra eſt. Gymnaſium, γυμνάσιον iocoſè inditum meretrici nomen. ut apud Lucianum cuidam Palæſtræ. Melænis, μελαινὶς, patronymica forma, à nigredine. Alceſimarchus, ἀλκησίμαρχος, de robore & imperio factũ nomen. Lampadio, λαμπαδίων, à face. Phanoſtrata, φανοστράτη, ſignificationem habet claritatis militaris. Haliſca, ἁλίσκη. & memoratur maſculinum ἁλίσκος, ſicut συρίσκος, ſed factum alia ratione. Nam hoc à nomine deminutũ, illud à uerbo dictum fuit, ſicut ἀφέσκος ab ἀφέσκω. Demipho eſt δημοφῶν, ſicut ἀντιφῶν, ξενοφῶν,

φῶρ, ἰοφῶρ. Quæ omnia habent ſignificationem φανότητος, id eſt ſplendoris, ut Grammaticis placet.

225 Amicam eſſe creui.) Priſcianus interpretatur libro 10. uidi. ſed eſt potius iudicaui: uel ut Varro interpretatur, conſtitui. Vbi tamen eſt ſcriptura in editis libris corrupta. Sic etiam interpretatur, cernere hæreditatem, cum hæres conſtituat ſe adire illam uelle, dici eum cernere: & cum id fecerit, creuiſſe. Etſi paulo antè ſic explicat hanc locutionem, ut uideatur indicare (nam ibi etiam liber eſt mutilus) in teſtamentis hoc aſcribi ſolitum, cernito: id eſt, facito uideant te eſſe hæredem. Cernere autem, neſcio quid ſequutus, interpretatur Nonius, cedere. unde (inquit) cernere hæreditatem filij patribus, id eſt, cedere dicti ſunt. Immò cernũt illi patribus hæreditatẽ, id eſt, hæredes ſunt patrũ. Hac ſermonis figura & Cicero eſt uſus ſæpius, quã librarij imperiti ferè corruperunt. Verſus autem huius ſcenæ ſunt τέμετροι, numeris confuſis, uſque ad illum, Quia nos, libertinæ ſ. à quo deinceps manifeſtior eſt ratio Septenariorum, ad illum uſque, Mea excrucior mea Gymnaſium. Vnde ſunt ad finem uſque huius ſcenæ Trochaici Archilochij.

Tranquillo mare.) Vt in communi mare, pro mari, antiqua conſuetudine. in noſtro, ita quidem legitur planè: in Varrone tamen editum eſt, tranquillo mari. Ouidius de Ponto libro quarto:

Et prius hic nobis nimium conterminus Iſter,
In caput Euxino de mare uertet iter.

226 Ex patribus conuentus.) Ita eſt in noſtro quidem, ſed cum raſura, quæ mihi ſolet ſcripturam

reddere ſuſpectam. Sed nihilo tamen melius eſt, id quod ſuppoſuerunt audaciſsima mutatione conticuis. Mihi attendenti animum ad ductus litterarũ in ueteri libro, uenit in mentem, fortaſſe Plautum *ſcriptum reliquiſſe, ex patribus cõmentiticijs. nam alienas filias illæ meretrices educauerant.*

227 Nunquã ætate Hecata.) *Edidimus ſcripturã noſtri codicis, ſenſu euidẽte. Etſi* Hecate *ibi eſt ſcriptum.* Neq; *tamen improbo alteram lectionem* τῆς ἑκάλης.

Tam abhorret hilaritudo.) *Ea eſt hilaritas, ut & in* Milite, *annotante* Nonio. *non autem, tam tam, legendum repetitum, ſed alterum inducendum eſt.*

Mihi exercitum imperare.) *Iocus* Plautinus, *id eſt, me habere exercitam. id eſt, exercere & cõmouere. ſcelerata aũt audacia & hæc corruperunt mutantes iſti, qui proſtituerunt* Plautũ *uerius, quàm ediderunt.*

Mea excruc. mea.) *Repetitum pronomen* ἐμφατικῶς, *quod non animaduertentes quidam ſuppoſuerunt, malè.*

228 Neq; pudicitiam.) *Hic uerſus ita ſunt diſtinguendi, prioris ut finis ſit, obſecro: ſequentis initium,* Quo is homo ſe inſ.

Extempulò.) *Vnde poſtea, extemplò. quod non animaduertentes, ſine cauſſa uerba tranſpoſuerunt.*

229 Nam cum pater eius ſubegit.) *Per* ἐπισυνεκφορὰς *hoc in uerſu numeri procedunt.*

Nihil amare iniur.) *In noſtro eſt, nihil amore iniurium eſt, ſenſu nihilo euidentiore. Sequens autem proximè uerſus non eſt integer.*

Eum conclam.) *Perperã exaratus eſt hic uerſus.*

ſecun-

ſecundum igitur uetus exemplum ita legetur,

Eum inclamare, utut erga me de ſt meritus, mihi cordi eſt tamen.

Idem mihi mag.) *Idem mihi, dactylus. Sunt autē huius ſcenæ uerſus Senarij Iambici.*

230 Quod tacito.) *Edidimus ſcripturam noſtri libri, ſed: Quo tacito fortaſſe uerius, certè minus inuſitatum.*

231 Nam mihi eſt auxilio.) *Perſona adhibita extra argumentum* προτατική, *ad indicationem quorundam, quorum fabulæ actio cognitionem requireret. Verſus ſunt & huius ſcenæ Senarij Iambici.*

232 Pœni pœnas ſufferant.) *Expreſſa de ueteri libro ſcriptura: neq;, ut opinor, mutāda, ut quidam fecere, neſcio quid de Nonio afferentes. ſufferre autem pœnas, figura ſermonis Latini nota eſt.*

Cruciabilitatibus.) *Vt facillitas, agilitas, ita facta eſt à Plauto Cruciabilitas. Verſus huius ſcenæ aliquot ſunt quadrati, confuſis pedibus.*

233 Eſt hoc ne). *Scribendum, Eſt' ne hoc, ut in antiquo libro legitur. Diſtinguendi autem uerſus ita, ut hæc ſit clauſula* τετραμέτρων συγκεχυμένων. *Eſt ne hoc miſerum memoratu,* δίμετρος καταληκτική. *Et ſequentes deinceps uſque ad finem huius ſcenæ, Trochaici Archilochij: qui ſunt, ut iam ſæpe dictum eſt,* τετράμετροι καταληκτικοὶ, *hoc modo,*

Eo facetus, quia tibi alia eſt ſponſa locuples Lemnia.

Habeas. neq; nos factione tanta, quanta tu ſumus:

Neque opes noſtræ tam ſunt ualidæ, quàm tuæ. uerum tamen

Haud metuo, ne iuſiurandum noſtrum quiſquam cul-
pitet.
Tu iam, ſi quid tibi dolebit, ſcias qua doleat gratia.

Et me, ſi nunquam tibi.) *Inerit ita Iambus in Trochaico. hoc uitaretur trăſpoſitis uerbis, hoc modo, ſi tibi nunquam.*

Quod reliquum eſt.) *Aut erit & in hoc Iambus uerſu, aut retinebitur m in reliquum: aut* διαιρέσει *pronunciabitur reliquum* τετρασυλλάβως.

234 Delenis.) *Delenire & delinire, idem uerbum eſt, mutata litera e in i, quod uſu frequentiß. apud Latinos fuit. hoc non conſiderantes, hic etiam mutarũt ueram ſcripturam. Significat autem ueteribus delinire, turbare: ut Amphitruone, Delinitus ſum profectò ita, ut me, qui ſim, neſciam. Nonius interpretatur, mente alienatus ſum.*

Itaq; me Iuno & Sat.) *Expreſſus eſt fideliter hic uerſus de ueteri noſtro codice. Quod autem aliqui inful ſerunt, Rex aliqui, neſcio quid etiam præterea, de eo ipſi uiderint. Noſtra ſcriptura, neq; ſenſu, neq; uerbis, neq; numeris incongrua eſt.*

Dei me omnes.) *Hic uerſus plenus & integer non eſt. Proximè autem hunc ſequens, expletus de coniecturis.*

Cum primo luci.) *Ita planè in ueteri noſtro libro ſcriptum reperitur: & docet Nonius, lucem in genere etiam maſculino reperiri. Luci autem, ſicut parti, in ablatiuo, mutata e in i.*

Perdatu tertio.) *Quæ reperimus in noſtro, ea iuſſimus exprimi, etſi illud, perdatu, quale dicam eſſe, &*

an credam hoc nomen in ſignificatione perditionis ita finxiſſe Plautum, *neſcio. Sed malui relinquere dubium lectorem, linguæ* Latinæ *&* Plautinæ *lectionis ſtudioſum, quàm falſa mutatione ſecurum reddere.* Etiam *hoc in mentem uenit, fortaſſe in archetypo fuiſſe perendinatu, & irrepſiſſe de interpretatione in uerſum, tertio. Sed hæc in medio relinquimus.*

Qui recta platea.) *Qui, δισυλλάβως pronunciabitur, aut platea* Iambum *habebit. niſi malit aliquis producto pronomine, hic plateæ mediam ſyllabam corripere, ſicut choream, media breui protulerunt.*

235 Quia ei promiſi me dol.) *Vera lectio expreßis omnib. de ueteri libro. Quid igitur modiolus ſibi uelit, non uideo. Eſt autem in locutione ἐναλλαγή, promiſi me dare: id eſt, daturum eſſe. ut,* Vxorem decrerat *ſeſe dare mihi hodie: id eſt, daturum eſſe.* Verſus *ſunt huius ſcenæ* Senarij Iambici.

Mei Lampadiſci.) Non *de* Lampadione, *ſed quaſi de lãpade fecit diminutione* Lampadiſcum. *ſunt & huius ſcenæ uerſus* Senarij Iambici. In *hoc autem, quod editum eſt,* Non *ſurda eſt hera, numerus quidẽ congruit, ſed ſenſus erit generalis, et poſtea ἀποστροφή ad heram.* Sed *in noſtro, nequid omnino dißimulem, legitur,* Non *ſurda es hera. quod ſi uerũ eſt, es, productè proferetur.*

Pergo illam his all.) His *duobus in uerſibus deſunt aliquot uerba, pro quibus quod uiſum fuit, iſti euulgatores repoſuerunt. nos de ijs, quæ quamuis lacera & truncata reperimus, tamẽ aliquid minus abhorrẽs exculpſiſſe nos confidimus. ſed de hoc etiam ipſo res in medio relinquatur. Eſt autem narratio μιμητική ſeruuli, qui*

tali

tali modo ſeſe ait cum puella locutum, quam eſſe crederet expoſititiã illam, & filiam herilem: & conatum fuiſſe perſuadere ei, ne fidem haberet anui, quæ diceret ipſam eſſe filiam ſuam, & uocaret ſeſe matrem eius: nam non eſſe matrem, ſed tantum eductricem.

Talenta magna.) *Ea, ut alibi diſſeruimus, ita fuerunt appellata, non de pluribus, ſed precioſioribus minis.* Non *enim uſpiam uel à me repertum, uel ab alio obſeruatum ſcio,* Talentum Atticum *plures habuiſſe minas* 60.

Ex Tuſco modò.) *Ex* Tuſco *uico intelligendum. ut in* Curculione: In Tuſco *uico ibi ſunt homines, qui ipſi ſeſe uenditant.*

236 Obſipat aquulam.) Id *eſt, recreat me.* N*am illo mendacio ſe elabi poſſe ſperat.* E*ſt autem expreſſum uerbum de ſcriptura ueteris libri. &* Feſtus *interpretatur,* Sipat, *iacit. & inde eſſe ait diſsipat, diſijcit. obſipat, obijcit. inſipat inijcit.* Ita *nunc eſt, obſipat aquulam, aſpergit.* Qui *autem exanimantur, ij aqua frigida recreari ſolent.* Quod *& in* Curculione *innuitur, ubi adoleſcens poſtulat aqualem cum aqua, cum ſimularet paraſitus ſe in laßitudine animum relinquere, & interrogat, uin aquam?*

Iam mihi monſtrare.) *Iã quidam mutarunt in eam. audacter illud quidem, ut infinita alia.* Veteri *noſtro in libro ita eſt:* Et *dixit iam monſtrare, id eſt, monſtraturam eſſe. ut ſuprà,* Promiſi *ei me dare, & alibi ſæpißimè.* Poſte*a autem falſò exaratum fuit, quendã: ac emendandum, ſe quendam aiebat.*

Deos teq; ſpero.) Sine *cauſſa inſulſerunt, ego: ut* fie-

fieret, Deos teq; ego ſpero. neq; numeris exigentib. hoc nomen, & ſenſu etiam alienum.

237 Prius ꝙ peperit.) Non priuſquam. nam hoc falſò eſt exaratum. Proijci autem, unde eſt illa proiectitia, ſignificat exponi.

Ingratijs.) ὕφεν, id eſt uelim, nolim: ſeu contra ſententiam animi mei. ita ſæpe alibi dictione hac uſus Plautus fuit.

138 Rem elocuta ſum tibi omnem.) Tibi om. coaleſcunt. Verſus autem ſunt huius ſcenæ omnes τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταληκτικοί. Atq; hoc loco reperi in noſtro ſcriptum libro, Selenium. Etſi autem puto illud Silenium, de quo antè aliquid à nobis uerborum eſt factum, rectè legi in hac fabula, tamen Selenij etiam eſſet origo Græca ἀπὸ τῆς σελήνης, σελήνιον, quaſi lunulam dicas.

Carebo, animũ.) διαίρεσις hic aliqua inerit, ut numeri ſibi conſtent. Sequens autem proximè uerſus integer non eſt.

Haliſca, agedũ) Inculcarunt aliqui, atq;: ut fieret, atq; agedum. Sed nobis tanti nõ fuit exquiſitio numerorum, temerè ut aliquid mutaremus addendo, detrahendoue. Et poſſũt etiã de ſæpe indicatis figuris hoc loco numeri adhæreſcẽtes expediri. nã illa licẽtia ſcribẽdi in ueterib. autorib. q, fortè libuerit, nullo modo eſt ꝑmittẽda.

Perimus, miſeræ.) Hi duo uerſus ita ſunt diſtinguendi:

Perimus miſeræ. AL. utrũ hac me feriã, an ab læua latus? ME. Quid tibi

Eſt? SIL. Alceſimarchũ non uides tenentẽ ferrũ manu?

Ecquid

Ecquid agis? remorare.) *Ita enim ſe increpat ceſſantem adoleſcens: hoc uerum eſt. ne morare, autem ſuppoſiticium.*

Hau uoluiſti iſtuc ſeuerum.) *Plana et liquida ſcriptura in noſtro ueteri libro. ſed quidam ſæuum ſcripſere pro ſeuerum, & numeris repugnantibus, docente Nonio ſeuerum ſignificare aliquando ſæuum, implacidum, uitabile. & adducente Virgilij locum,*

Inuidia infelix furias, amnemq; ſeuerum

Cocyti metuet. —

239 Sed quid hoc eſt hæc.) *Ita eſt plana ſcriptura in noſtro libro ueteri. neq; abundat pronomen* δεικτικὸν *hæc. Et quod ad numeros attinet, qui ſunt ſimiles ſuperiorum, Trochaici Archilochij, ad illos expediendos aſſumenda ſunt adiumenta* ἐπισυναλοιφῶν.

Omnia inficias ire.) *Vera lectio, quam non intellecta proprietate & natura linguæ Latinæ corruperunt correctores iſti. Nam aut referendus hic infinitiuus ad id, quod Phanoſtrata interrogarat, Quid nuncias ſuper anu? ut dicat ſeruus & illam ſceleſtiß. eſſe, & omnia ire inficias, ea quæ dudum confeſſa fuerit. Aut eſt hæc in indignatione locutio imperfecta: ut, Adeo'ne hominem eſſe inuenuſtum. ut ſit ſenſus, Indignum eſſe facinus, omnia iam illam negare, quæ prius fuerit confeſſa. Tale eſt & id quod ſequitur: Nam hercle ego illam anū irridere me ut ſinam?*

Non ecaſtor mihi falſa mem.) *Hoc loco uetus noſter liber mendoſus eſt, & ſcriptura euanida. nos de ductibus reliquis litterarum, fuimus arbitrati legendum falſa: alij fecerunt caſſa.*

Niſi

Niſi quid mihi opis.) *Si ſunt rectè diſtincti uerſus, de quo mediocris ſanè ſpes nobis eſt, erit hic* δίμετρος: *ſequentes autem* δίμετροι, καταληκτικοὶ, ὑπερκαταληκτικοὶ, ἀκαταληκτικοὶ, *numeris confuſis, uſq; ad illum,* Bona *fœmina, et malus maſc.* À *quo deinceps eſt ratio* ἱππωναϰτείων, *ſeu ſeptenariorum manifeſta, uſq; ad illum,* Sed *quæſo ambages mul.* Vnde *uſq; ad finem ſcenæ uerſus ſunt* Senarij Iambici.

240 Mi homines, mi ſpect.) κατὰ συναλοιφὴν, *pro mei. nam mi eſt ſingularis numeri, ut* Mi *pater, mi gnate. Quare ſi omnes litteras perſcribi aliquis uoluerit, fiet, mei, ſicut* Dei. *Atq; hoc loco in ueteri uerba quædam deſunt: nos conſarſimus & uerſus & ſententias, quàm ſcitiſſimè potuimus. alij paulo fuere in concinnando animoſiores. Sed noſtrum ſtudium ueſtigijs ueteris ſcripturæ inhæſit.*

Conſtitit.) H*æc eſt uera lectio.* H*æc aũt ſunt omnia geſtus & actionis. de ueſtigijs enim coniecturam facit, & qui affuiſſe, & quà abijſſe uideantur,*

241 Bona fœm.) *Hinc iam uerſus ſunt* Hipponactei, *ut diximus. Qua numerorum ratione non depræhenſa, multa in his uerſibus ab iſtis correctoribus & tranſmutata & commutata fuerunt.*

Ego tibi meas res mando.) *Et ita in ueteri noſtro libro ſcriptum eſt, & hunc ordinem uerborum numeri exigunt.*

Mi homo & mea.) *Ita procedunt numeri, ſi et mi totum proferas, & mea* μονοσυλλάβως.

242. Quid id, quid id nã eſt.) *Et in hoc, & in ꝓximè ſequẽte uerſu deeſt aliquid in noſtro libro.* Nos

expleuimus & ſententiam & numeros coniecturis de noſtris, non prorſum, ut ſpero, futilibus.

Ciſtella m hic.) *Ita quidem legitur in libro ueteri, ſed, arbitror non abhorrere à uero, ciſtella mihi hic mi adol.*

In nulla opera gratuita.) *Gratuita penultima longa pronunciandum. Sicut Horatianum illud, Nec for tuitum ſpernere ceſpitem.*

Commoda loquelam tuam.) *Hæc non longè aberrant à ueteris libri ſcriptura, & ita rectè legi puto. Atq; ante hæc præſcribi poteſt: & niſi fallor, debet, perſona Phanoſtratæ.*

243 Sed quæſo amb.) *Hi deinceps ſunt in hac ſcena uerſus, de quibus dictum eſt, Senarij Iambici. In ſequenti uerſu, citò erit Iambus.*

Aequum eſt tenere perſ.) *Illud quod inſeri curauimus, tenere, in ueteri noſtro non legitur. Quid autem melius de hoc uerſu faceremus, non reperiebamus. Significabit autem hoc loco tenere, continere & tacere: ut dicat ancilla, Aequum eſſe tacere illos, neq; ſe prodere. Ideoq; & rectè ancillæ nomen ponitur ante hunc uerſum, Illius ego iſtanc eſſe malo gratiam.*

Quid hoc negocij eſt, quod omnes homines.) *Ita planè ſcriptum eſt in noſtro, & numeri ſunt* ἐπισυνχλοιφαῖς *expediendi, qui ſunt* τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταλυκτικοί. *quos aũt offendit excurſio lõgior huius uerſus, ij illum truncantes ſuſtulerunt Omnes.*

244 Mihi eſſe filiam inuentam.) *Aut erit in hoc uerſu* διαίρεσις, *aut in Lãpadione, pa producetur: quod eſt tamen natura breue. Vt & in illo formæ neutralis*

tralis nomine mulierculæ λαμπάδιον, *apud* Lucretiũ:

At flagrans odioſa loquacula,Lampadium fit.

Sed ſuprà illo loco quo notas,quibus deeſſe quædam indicaretur, apponi curauimus, inferſerunt alij quædã de Nonio *adducta,ut ex Ciſtellaria,* Nam *ita muſtulentus æſtus nares attigit: & ex* Priſciani *libro quarto,Adhinnire equulam poßim ego hãc,ſi detur ſola ſoli.Quæ hoc loco inculcanda non fuerunt.nam nihil eſt,cum his conſentaneum in reliquijs litterarum ſcripturæ ueteris, & numeri etiam alicubi refragantur.* Atque *ſunt de Ciſtellaria à* Grammaticis *& alia adducta plura:quæ niſi mendum eſt in nomine comœdiæ,aut niſi aliam ſcripſit Ciſtellariam* Plautus,*demonſtrant admodum hanc eſſe fabulam mutilam.*Nam *ubi in hac legitur? Qui niſi biteres,nimium is uegrandi gradu.* Et *hoc,* Prohibet *diuitijs maximis, dote altili atque opima: & hoc,* Capillo *ſciſſo,exciſſatisq; auribus: & hoc,* Pol *ad cubituram mater magis ſum exercita,quàm ad curſuram, ſum tardiuſcula: & hoc,*Intrò.*At bonam meretricem aſtare in uia ſolam, proſtibulũ ſanè eſt: & hoc,* Malum *aufer,bonum mihi opus eſt: & hoc,*Meminere *officium ſuum: & hoc,quod etiam* Priſcianus,*quaſi de Ciſtellaria, retulit libro tertio:* Cum *extortis talis, cum totilis cruſculis.*Et *quod idem memorat:*Siquidem *imperes pro recula.*Et,*bellißimi negotioli ſenecis.*Et *libro octauo :* Me *reſpondere poſtulas,iniurium eſt.* Quid *igitur dicam non habeo.* Niſi *quis de* Siſenaria *(nam & hoc nomen reperio fabulæ* Plautinæ *eſſe) hæc adducta ſuſpicetur.* Quemadmodum *pro* Neruolaria *adductum nomen* Aululariæ *in* Nonio *cernitur, ubi* Scraptæ *quæ*

ſint, docet. Sed his coniecturis fruſtra nos exercere-mus. Miſſa igitur iſta, & operæ potius preciũ aliquod interea faciamus.

IN EPIDICVM.

ARgumentum fabulæ tale eſt. Periphanis ſenis filius Stratippocles, cum amaret quandam, proficiſcitur in militiam. Cumq́; crebras literas mitteret ad ſeruum Epidicum, de redimenda amica, id tandem effe-ctum ſeruus dedit, cum ſenex filiam, quam ſuſceperat, ex quadam Epidauria, captam redimi iuſsiſſet. nam pro illa fidicinam, quam filius amabat, ſeni adduxit. Poſtea adoleſcens aliam amare cepit abſens inter ca-ptiuas, & quadraginta illam minis mercatus fuit The-bis. Ea erat amiſſa filia, & iuſſa requiri ſoror adole-ſcentis. Sed hoc ille ignorabat. Oportebat autem ar-gentum, quod fœnore acceptum ſoluerat, ſtatim nu-merari Daniſtæ, qui mox aduenturus erat cum ado-leſcente. Id negocij datur Epidico, qui arte circum-uenit ſenem, & perſuadet ei, ut præmercetur fidici-nam, quam filius perditè amaret. Ita illas minas qua-draginta elicit, & conductam fidicinam, quaſi ad rem diuinam, adducit ad ſenem. Cum omnia facta palàm, & Epidicus in ſummo periculo eſſet, agnoſcitur filia amiſ-ſa ſenis: quæ quaſi opera ac diligentia reperta ſit ſua, i-ta ſeruus libertatem obtinet.

Fabula eſt eleganter compoſita, in magna uarietate, cuius laus apud ipſum autorem extat in Bacchidibus, ubi ille illam tanquam ſeipſum amare ait. Nos autem, ut antè fecimus, præcipuas emendationes, & ſi qua a-

lia

lia non prætereunda eſſe ſilentio putauerimus, ea notabimus: cætera relinquemus ſtudio, & induſtriæ, explicare enarrando illas uolentium. Exponam *autem primum nominum interpretationem, quæ ſunt* Græca,*ut in fabula palliata.* Ἐπίδικος *ſerui nomen, controuerſiæ habet ſignificationem. ut* χρήματα ἐπίδικα, *& uirgo* ἐπίδικος, *in quibus lis eſt de iure proximitatis.* θεσπρίων, *nomen & ipſum ſeruile, cuius ſanè* ἔτυμον *obſcurius. fortaſſe hic* θεσπορίων *fuerit, à celeritate, tanquam* ἀπὸ πόρου θείου, *ut* θέσφατον, θεόσφατον. στρατιπποκλῆς, *herilis filij ſuperbum nomen* ἀπὸ στράτου, καὶ ἵππου, καὶ κλέους, *quibus indicatur gloria exercitus equeſtris.* Chæribulus χαιρέβουλος, *mutata* ε *in* ι, *ut* χαιρέκακος, *conſilijs gaudens. niſi fortè, eſt* χειρίβουλος, *manu conſultus, ut* χειρίσοφος. ἀποικίδης, ἀπὸ τῆς ἀποικίας, *quo uocabulo colonia ſignificatur.* περιφανὴς *autem eſt illuſtris. Senum hæc ſunt nomina.* In *fabula mentio fit* ἀκροπολιστίδος, *nimirum ab arce, quæ eſt* ἀκρόπολις, *&* τελεστίδος, *qualicunq; ſanè ſignificatione* ἀπὸ τοῦ τέλους, *ut* τελεσφόρος. φιλίππη, *ut* ἀλκίππη, ἀρχίππη, μελανίππη. φίλιππος *autẽ eſt equorum ſtudioſus.* Canthara, *à canthario.*

Argumenti *uerſus, ut ubiq; ſunt Senarij* Iambici, *id eſt,* τρίμετροι ἀκατάληκτοι.

In *prima ſcena eſt indicatum argumentum, ad quod adhibita eſt perſona* Theſprionis *extrinſecus accerſita, id eſt,* προτατικὸν πρόσωπον. Suntq; *uerſus quadrati, acatalecti & catalectici.*

245 Quid tu agis.) Hic *erit* βραχυκατάληκτος *uerſus, niſi fortè legẽdũ* Eugepæ. Expreſſa *aũt eſt ſcriptu*

ra ueteris libri, cum mallem hãc, Quid tu agis? ut uales?

247 Nam certo prius.) *In ueteri codice erat legationem, atq; ita uerſus quidem numeris plenior ſit. ſed, legionem, uerius uidetur eſſe, id eſt ab exercitu, niſi fortè legiones, ſcribendum. & paulo antè,* Trauolaue*runt.* Trauolo, *ut traduco, mollito ſono præpoſitionis. Sed fabula minus accuratè inſeritur.* Non enim *fuere arma* Vulcania Achillis, *quibus potitus fuit* Hector: *ſed altera, quæ in poteſtatem hoſtium non uenerunt.*

Redde igitur.) *Iocus. quaſi ille dixiſſet, Non hoc uolo: & ipſe dediſſet aliud, quàm quæſitũ fuiſſet.*

In dies minasq́.) *Ingens fœnus, ſiquidem nummus denarium ſignificat, ut in* Heautontimorumeno.

248 Amat'ne iſtam.) *Incipiunt alij fieri uerſus, & numeri conturbari.* Nos *reliquimus, quemadmodum reperimus in ueteri noſtro codice, congruentes pleroſq; ad metra* Hipponactea.

Detegetur coriũ.) *Ita planè in noſtro legebatur. ſed* Nonius *annotat,* Degere *eſſe detrahere: adducitq́; hunc locum ita,* Detegitur *corium de tergo meo.*

Puppis pereunda.) *Ita quidem ſcribitur & in noſtro. Sed haud ſcio an perperã. fortaſſe alluſit ad id, quod Græci dicunt* πρύμναν κρούεσθαι, *cum inhibetur curſus, & retroceditur nauigãdo. ut, puppis perciunda eſt probè, legi poſſe uideatur.*

Cũ iſtac conditione.) *Expeditius deinceps quadrati procedũt, catalectici illi quidẽ pleriq; τροχαΐζοντες.*

Niſi quid in te.) *Fideliter ea, quæ in noſtro codice reperimus, exprimi curauimus.*

249 Is ſibi.) *In ueteri libro legitur* Abduxit,

& eſt

& eſt uerſus fulciendus in dictione fortaßis alteram, ne m elidatur.

Rem tibi ſum el.) *Verſus ſimiles pleriſq; ſuperioris ſcenæ, octonarij & καταληκτικοὶ τετράμετροι τροχαΐζοντες.*

Prognatum bono.) *Aſcriptum erat in noſtro, uel probo. Vtrunq; autem rectè legitur.*

Egomet clamore.) *Vera lectio expreſſa de antiqua ſcriptura. Nam adoleſcens ſe iam magnum æs alienum contraxiſſe, & clamore debita à ſe exigi ait: id eſt, Inclamari à creditoribus.*

250 Symbolæ.) *Symbolis enim datis cõuiuia inſtruebant, quorum impenſæ æqualiter ſuſtinerentur, & ſumtus eſſet communis omnium.*

Ante ſolis occaſum.) *In ueteri exemplo, ante ſolem occaſum, ſicut cõmodiorem hominem aduentum ad tẽpus. Sed hic uerſus & ſequẽs mutili ſunt. In ueteri ſcribebatur elo, tantũ in fine. Vnde aliqui ἕλω Græcum fecerunt. Sed, ut dixi, finis utriuſq; uerſus intercidit.*

251 Pleriq; homines.) *Verſus quadrati, interq́; hos catalectici hipponactei. Eſt autem de priore colloquio quaſi abruptum initiũ, ut intelligi tale aliquid poſſit: eo ſunt ingenio, uel ita facere ſolent.*

252 Sexta ærumna.) *Hippolyte Amazon ſuperata & ſpoliata balteo.*

St. ſt. tacetc.) *Silentium imperantes ſibili ſunt. ut in Phormione quoq;. Cadunt uerſus in numeros τετραμέτρους καταληκτικοὺς σπονδαΐζοντας.*

Qualis uolo.) *In ueteri libro lacuna eſt, ut uerear, ne quid hoc in loco detrimẽti ſit.*

253 Quis hoc ſcit.) Et hic uacuum ſpaciolum eſt in ueteri libro,ut de integritate horum uerſuum duorũ nihil affirmare habeam.

Quantũ in.)Expreſſa eſt fideliter ſcriptura libri ueteris.Refertur aũt ad id quod dixerat,meretricum.

Id adeò quam max.) Expreſſa eſt ſcriptura ueteris libri:quæ ſi uera eſt,erit,ut opinor,oratio ἐλλειπτικὴ. ut ſit, Vis dicam?qua max.re hoc animaduerterim.

Induculam.) ab induendo.In Nonio legitur, An regillam tuniculam induta,an.

Impluuiatam.)In Non.ut iſtæ faciunt ueſt.nom.

254 Periphane F.)Ita ſcribitur hoc nomẽ in noſtro lib.Erit aũt, ut Anchiſes,æ.Etſi Græcorũ eſt alia flexio.

Hercle quid ego.) Satis longè excurrit uerſus. ſed pronunciando breues ſyllabas mirabiliter ueteres corripuerunt.Hunc igitur & ipſum,ut reperimus in libro noſtro uerſum,ita curauimus exprimi.

256 Nam telo.) Organum requiritur ad opus efficiendum neceſſarium, ut telũ eſt belli.uetus ſcriptura fideliter eſt expreſſa.

257 Nullum eſſe op.)Verſus ſunt Iambici ſenarij.Hic autem primus admodum hiat. ſi eſſet, Nullum omnium : aut, In agro hoc, aut in agro toto Attico,ita numeri conſtarent.

Expectando ex.)Tetrametri ſunt,ſed confuſis numeris & ἀσυνάρτητοι.

258 Quid illum ferre uis.) Si nihil deeſt, ſanè abruptior eſt oratio,conuerſa ad ſodalem,& increpãs eum,quòd non ſubueniret ille inopiæ amici. Sed apparet eſſe locum mendoſum,uel etiam mutilum,ut ſuſpicari poſ-

ri poßit quiſq; quod uiſum fuerit. Nos *ueteris exempli ſcripturam exprimi curauimus.*

Feciſti iam off.) *Abiens à ſene argento accepto, hæc ſeruus loquitur, initio quidem ſenem ſeriò compellans, mox irridẽs in diſceſſu. Verſus ſunt tetrametri hipponactei.*

Vt facilem.) *ἐλλειπτικῶς. Quàm facilem, inquit, præbuit ſenex ſe noſter & impetrabilem?*

259 Perenticidam.) *A pera fecit iocans, ut à parente fit parenticida.*

Peratim duct.) *Peratum & follitum in noſtro legebatur. iocatur in compilatum ſenem, cuius peræ & folles excuterentur.*

Nunc autorem.) *id eſt cuius autoritate præſentis res ageretur. Ita enim in noſtro libro planè perſcriptũ eſt. Quod aũt ſequitur, Quaſi quæ amaret, caueat: expreſſum & ipſum eſt ſecundum ſcripturã ueteris libri. non tamen abeſt mendi ſuſpicio. Cauere aũt in contractibus is dicitur, qui proſpicit ſibi aut alteri rationẽ et uia iuris. Si legeretur, Quaſi quæ, uel qum emeretur, uel quaſi qui, eam emat & caueat: ſenſus eſſet euidẽtior. ſed hoc monuiſſe ſatis habemus.*

260 Non oris cauſſa.) *Verſus ſunt Senarij.*

Caue ſiris.) *ſiueris. à ſino uerbo ſubiunctiuum.*

261 Albis dentib.) *Planè in hoc ueteri libro perſcriptũ eſt, & numeri cõueniũt. ſignificatur aũt cachinnatio, id eſt, effuſior riſus, in quo dentes nudantur.*

262 Caue præterb.) *Præmittit miles puerũ, q̃ percontetur, ubi Periphanes habitet. quẽ Plateniũ cognominat, quaſi indicio populi, cuius ille eſſet. ut, Δημοσθένης, παιανιεύς.*

264 Periphani F.) *Vt Archonidi filiam.*

Eam'ne ego.) *ἐλλειπτικῶς. Ego'ne, inquit, qui tam ſapiens uideor, hanc iniuriam mihi factam eſſe impunè feram.*

Atq; me minoris.) *Hoc loco eſt lacunata ſcriptura in libro ueteri, quomodo et exprimi curauimus. Sententia propter mendas obſcura.* Nam *qui explerũt hæc, nimis audaces fuerunt tam in inculcandis alienis, quàm coniungendis diſcrepantibus. Suſpicari poſſumus, hæc ex alicuius priorum poetarum fabula quapiam iocoſe inſerta à* Plauto *fuiſſe.*

265 Si quid eſt homini.) *Verſus ſunt tetrametri pleriq; catalectici. Primi decẽ et nouẽ incõcinniores et recidẽtes ad hipponacteorũ formã. reliqui τροχαΐζοντες.*

An congrediar.) *Nonius, congredias. ſed in ueteribus libris* S *&* R *ſimiles ſæpe figuras habent.*

266 Fabulata es.) *Hic uerſus eſt imperfectus et numeris & ſententia.*

Acropoliſtidem.) *Hoc non oportet eſſe nomen filiæ* Periphanis, *cum ſit fidicinæ alterius, amicæ Stratippoclis. Et ita tamen in ueteri codice legebatur. Poßit aliquis ſuſpicari legendum eſſe,* Huc *Teleſtidem, uel Acroteleſtidem. Nam uerius hoc nomen uidetur, quàm Teleſtidos. Vel neſcio quid aliud accommodatius.*

267 Quid eſt pater.) *Verſus tetrametri catalectici τροχαΐζοντες.*

Eam me nouiſſe.) *Verſus erat mutilus in libro ueteri. Nos retinuimus, pro deum: quod alij addiderũt. Sed & ſic tamen uerſus hiat.*

268 Auſtiũ perculi.) *Ita planè eſt perſcriptum in*

noſtro

noſtro codice, ſed cum lacunula tamen ante initialem li teram a. Itaque ſuſpicor uerum eſſe, plauſtrum percu-li: id eſt, euerti ac perturbaui rem, falſa emtione. Nam Donatus ruſticum eſſe ait prouerbium, penè plauſtrũ perculit: ubi ait in Eunucho ſeruus, Perculeris tu iam me, id eſt, impellendo proturbaueris.

Malè morigerus.) *Verſus ſunt τετράμετροι ἀ-κατάληκτοι & καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.*

269 Geſtant copulas ſecum.) *Deeſt aliquid, quod numeros compleat trochaicos. in libro ueteri ſcri bebatur, ſciam. fortaſſe illi iam. ut iam, quemadmodum ſæpe, διασυλλάβως pronuncietur. Quidam, ſubueni, ad diderunt. Sed de aliorum opinionibus & architectatio nibus, non conſtituimus nos diſputaturos eſſe.*

Et ille Graueſtellus.) *Talis eſt ſcriptura in uete ri libro. Et fieri poteſt, ut licentia uſitata ſibi in fingen-dis nominib. Plautus alluſerit ad pondus telluris, quod dicitur, ἄχθος ἀρούρης, atq; ita iocatus fuerit in obœſum. Sext. Pomp. hunc locum & in Graueſtello, & in Raui-ſtello adducere uidetur.*

Dij immortales.) *Variè hunc locum mutarunt. Nos de ueteris libri ſcriptura, ſi non integritati reſtitui mus, certè minimè longè à ueritate abduximus. Nam uel ſic hunc uerſum, uel non multo certè aliter Pautus ſcriptum reliquit. Alij autem totum immutarunt cor-rectione ſua.*

Videon ego Teleſtidem.) *Malim quidem A-croteleſt. uel neſcio quid aliud, quo numeri magis ex-plicarentur.*

270 Ne auream.) *Poſt me eſt lacunula in ueteri*

libro. itaq; ſuſpicor ueram eſſe ſcripturam, minam au-ream. Hæc fuiſſet inſtar aurei Luſitani, cuius precium aur. 10.

Neq; ille haud obijciet.) *Duæ negationes, ut & ſuprà, & aliàs ſæpe negatiuè Græciſmo. Bacchid. Neq; ego haud committam.*

271 Satin ille homo.) *Verſus ſimiles uerſuū ſuperioris ſcenæ.*

Laſsitudine me.) *Flemina planè perſcribitur in libro uetere, & uerum eſt. Nominant autem ita morbos pedum, cum ex labore uiæ, inquit Feſtus, ſanguis defluit ad talos. hæc nimirum erunt* λέδματα Hippocratis. *In Abſyrti etiam libro de equis, leguntur* φλεμέλια. *ſic enim fluxus in pedes à Romanis uocari ait. hæc erūt igitur flemina.*

Duodecim deis.) *Glorioſa ſeruuli exultantis oratio. Eſt autem conſtructio paulo impeditior, hac ſententia: Sunt mihi iam adiutores duodecim dij, plures quàm ſunt dij in cœlo. Sæpe autem celebratur mentio* XII. *deorum, quorum nomina duobus uerſibus comprehendit Ennius:*

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Nec tibi ſupplico.) *Verſus hiat.*

272 Nihil uerò ob.) *Non affirmo emendatum eſſe hunc locum. In ueteri eſt arbitramino.*

Quæ hæc malum.) *Mutilus uerſus eſt. ac fortaſſe deeſt, Impudentia eſt? Et paulo antè, Neque malo homini, neque benigno: fortaſſe legendum, Neque indigno.*

IN BACCHIDES.

EX Bacchidibus Plauti adducuntur à Chariſio, & Nonio, quæ in hac fabula non leguntur, ut eſſe mutilam illam facilè exiſtimare poßimus. Quæ uerò addita leguntur in editis libris, ut licet per me de ijs ſentiat quiſque quod uoluerit: ita uel mediocriter literis Latinis erudito dubium eſſe non poteſt, Plautina illa non eſſe. Fulgentius quidam interpres ueterum nominum, Naſiternam adducit de Plauti Bacchide, Naſiternam cum aqua feras. Neſcio an alia illa fabula fuerit: nam huius nomen eſt Bacchides. Fabula hæc elegans eſt, ſed flagitia & turpitudinem nefariam proponit, ad cuius cognitionem terreri debent animi piorum, conſideratione horribilis iræ diuinæ, qui contemtum & neglectionem ueritatis tam atrociter ultus fuit, ut in tantos errores, & talia peccata homines delabi ſineret, in quorum mores hæc tanta, & tam fœda uitia inuaderent, quibus quidem ciuitates & imperia tandem interierunt. Argumentum fabulæ tale eſt. Abſens in Epheſo, quò miſſus fuerat à patre Mneſilochus, petit à ſodale Piſtoclero, ut Bacchidem amicam ſuam reperiat. Eam apud ſororem ille & ipſam nomine Bacchidem fortè inuenit, & huius ſororis amore implicatur. Redit mox ex Epheſo Mneſilochus, & errans de ſermonibus Lydi pædagogi, in ira conſilium de auro retinendo, quod ſeruus Chryſalus commentus fuerat, omne perturbat. Poſtea re cognita, orat ſeruum ut aurum per fallacias retrahat. Id ille audaciſsimè atque callidiſſ. perficit. Sed tandem fraude

pateſi-

patefacta, ſæui & minaces ſenes blandicijs meretricum pelliciuntur eodem, ubi filios perire ægerrimè paulo antè tulerant. Πιςόκληρος *eſt à fide ſortis. Lydus, gentile.* βακχίδες, *à* Baccho. χρύσαλος, *ab auro.* νικόβουλος, *à uictoria conſilij, ſeu cōſilio uictoriæ.* μνησίλοχος, *fortè nomen à cogitatione inſidiarum.* φιλόξενος, *hoſpitalis.* κλεόμαχος, *à gloria ſeu celebritate præliorum.* Ἀρχιδημίδης, *patronymicè ab* Archidemo, *qui eſt princeps populi.* μεγαλόβουλος, *præſtans cōſilio.* θεότιμος, *uel* Dei *cultor, uel is quem* Deus *colit.* πελάγων, *à pelago denominatus.* ἀρτάμων, ἀπὸ τοῦ ἀρτάμου, *quod uerbū cocum ſignificat.*

275 . Arundo alas.) *Propè eſſe ait ut capiatur. nam & arundines in aucupio ſunt. Sunt autem uerſus huius ſcenæ quadrati* τροχαΐζοντες.

Egomet apud.) *Si, in ueteri non legebatur.*

277 Quia iſtoc.) *Hic eſt uerſus dimeter.*

278 Iamdudum.) *Verſus ſunt* Iambici *ſenarij.*

Idem, ſtult.) *Putitio quidam maluerunt, à putido. ut hoc diceretur, ſtulto illum eſſe ſtultiorem. Sed omnino imperitū & ruſticū ſacerdotem priſcum notat. Simplicitas aūt eſt, ut ſcimus antiquitatis.* Vnde & Græci ἀρχαίους *uocāt ſtolidos.* Iam Potitios & Pinarios *fuiſſe* Herculis *ſacerdotes conſtat.*

280 Herilis patria.) *Verſus ſimiles uerſuū ſuperioris ſcenæ.*

Mirum eſt.) *Similiter uerſus ſunt ſenarij* Iambici.

Quia ſi ille.) συναλοιφαῖς *numeri explicādi ſunt.*

281 Si eam agit pellio.) *Nomen, ut apparet, comœdi, quem Plautus notat ut malum actorem. Siue illud rectè, ſeu perperam exaratum eſt: nos ſcripturam ueteris libri*

ris libri curauimus exprimi. Alijs magis placuit Pollio.

282 Ibo in Pircum.) *Senarij & ipſi* Iambici.

285 Copem fac.) *In ueteri libro eſt ſcriptũ, Quopem. Sed annotatur, alibi legi, Vt amãti herili opem facerem filio. ubi fortaſſe* Copiam *facerem, legendum. Copem quidem ueteres copioſum uocaſſe conſtat.*

286 Dianæ Eph.) Vel Dianai, διαιρέσει.

Pandite atq;.) Τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

287 Tua infamia.) *Verſus hiat. Si eſſet,* De tua *infam. numeri fierent concinniores. Gerulifigulos autẽ propinquos uocauit, qui ſuſtinerent turpitudinem generis contaminati peccatis adoleſcentis.*

Multimodis.) *Similes uerſus uerſuum ſuperioris ſcenæ. eſt autem multimodis, multis modis.*

Sed eccum.) *Aut mendum hoc, aut ocioſa hæc inculcatio eſt.*

288 Nunc experiar.) *Similes uerſus ſuperioris ſcenæ uerſuum.*

Gymnaſij præf.) *Hiat uerſus.*

289 Expretus linteo.) *Ita in ueteri lib. planè legitur. Sed qđ ſit hoc illud loco nõ uideo, et uerſus titubat, ut requiri* πετρασύλλαβον *uideatur: ueluti exporrect⁹.*

Tui ſodalis Piſtocleri.) *Si eſt uera ſcriptura, ri ſyllaba,* Piſtocleri, *comprehendetur cum, haud initio uerſus ſequentis.*

291 Amiciorem nunc.) *In ueteri libro ſcribitur,* Immitiorem. *ſunt ſenarij* Iambici.

Suo meo.) *Nolui mutare ueterem ſcripturam, ut quaſi* ὑφ᾽ ἓν *iocans fecerit ſuomeo: id eſt, ſuo & meo. erit au-*

rit autem ἐπισυναλοιφὴ in, malo.

292 Ramenta plum.) *Hæc eſt ſcriptura ueterum librorum. ſed in* Nonio *legitur plumbea, idq́; uerum eſſe puto.*

Mori me mauelim.) *In ueteri eſt, malim. Sed ita uerſus etiam magis claudicat. Venire alicui in mentem poßit, ita hunc legendum, Mori mala me malim excruciatum inopia.*

Reb. aliјs.) *Tetrametri catalectici τροχαΐζοντες.*

Reddidi patri.) *Similes uerſus prox. antepoſitorũ.*

293 Sublecta fide.) *Vt alibi, fides ſublectior. In ueteri aſcripta erat emendatio, ſubuerſa. uel interpretatio fortè illa eſſe debuit.*

Sibi ne inuid.) *Verſus hiulcus, & ut uereor, mutilus, ſententia quidem integra.*

294 Tu dudum puer.) *Veram lectionem eſſe puto hanc, Tu qui dudum puer cum illa uſq; iſti ſimul. Sunt uerſus ſenarij Iambici, quales & ſequentis ſcenæ.*

295 Cui tu integumentum improbus es.) *Duæ ultimæ ſyllabæ conſidunt. Expreſſa aũt eſt ueteris libri ſcriptura, cum aliorum quidem de hoc uerſu coniecturas nequaquam improbem.*

Petulans prot.) *Confuſi numeris uerſus ſunt. Rediguntur tamen ad tetrametros, ſed de diſtinctione nihil affirmare habeo.*

297 Hunc hominem decet.) *Verſus ſimiles ſuperiorum numeris confuſi: uſq; ad hunc, Chryſale occidi. A quo deinceps ſunt manifeſti τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.* (*meris conuenit.*

298 Dediſti in cruc.) *Verũ eſſe puto, dediſti, et nu*

Fugia-

301 Fugiamus.) *Verum eſſe ſuſpicari fortaſſe liceat, Euge eamus.*

Inſanum magnum.) *Senarij Iambici.*

302 Nimiæ illæc res.) *Similiter iamb. ſenarij ſunt.*

306 Spes, opes.) *Ita eſt ſcriptum in ueteri libro. Ops tamen uerum uidetur. uel opes, una ſyllaba κατ' ἐπισυναλοιφὴν pronunciandum. Sunt & huius ſcenæ uerſus ſenarij iambici. paulo autem antè, Animam exorbebo: in quibuſdam exorbabo.*

307 Atridæ duo fratres.) *Sunt uerſus tetrametri καταληκτικοὶ & ἀκατάληκτοι, ſed cõfuſis numeris. & δίμετρος unus uſq; ad initium epiſtolæ, pater ducentos Phil. Inde enim redeunt numeri ad iambicos trimetros acatalectos.*

Non Pelides tor.) *Et propter ſcripturam ueteris libri, & ſenſus obſcuritatem, hic mihi locus ſuſpectus eſt. ſed quid moneam, aut ſubijciam ad emendationem, non habeo: quæratur igitur.*

Hunc ipſum.) *Sed malim, Hæc ipſum, ut comparatio ſit euidentior Bacchidis & ignis.*

Meliusq; adhuc.) *Fortaſſe, meliuſculè, aut meliuſclè.*

308 Illic eidem.) *Illic ibidem.*

312 Quam magis in pect.) *Rurſum ſequuntur longiores uerſus, qui ſunt tetrametri catalectici Hipponactei in hac ſcena.*

313 Quicunq; ubiq;.) *Huius ſcenæ ſimiles uerſus ferè ſunt ſcenæ ſuperioris. ſed tres ultimi τροχαϊκοί.*

314 Quis ſonitu ac.) *Confuſi numeris uerſus*

ſunt

ſunt τρίμετροι, τετράμετροι, δίμετροι, καταληκτικοὶ & ἀκατάληκτοι,nonnulli τροχαΐζοντες: ut ultimi quin que maniſeſtò,ante quos Grex præſcribitur, quod uerbum in ueteri libro extat.

315 Thymianæ.) *In ueteri eſt Thymiamæ.ſed quid ſit quæramus.*

316 An amas?necas.) *Aſcriptum erat in ueteri. alibi legi,ne carpe.*

IN MOSTELLARIAM.

HAec fabula hilaritatis & feſtiuitatis plena eſt, etiam multis bonis ſententijs inſignis. Et proponitur exemplum in hac conſiliorum malorum & fraudulentorum: quæ quia firma eſſe non poſſunt,requirunt nouas ſemper machinas,quibus fulciantur,donec tandem ruunt omnia deprehenſis dolis. Nomen fabulæ inditum eſt à monſtris: nam ſenex à ſeruo quaſi manium monſtris exterretur. Mentio fit φάσματος Menandri,ſed & Plauti phaſma memoratur,quod nomen & ipſum monſtri talis habet ſignificationem. Eſt autem monſtrum moſtellum, ſicut caſtrum caſtellum,in pronunciando n litera liqueſcente. Inq; hac ſene quodam mercatore abſente, filius illius implicatur libidinoſo & ſumtuoſo ſodalitio. Et amicam redimit triginta minis,quam pecuniam,& inſuper in ſumtum decem minas fœnore ſumſerat à daniſta, mina una in decem. Redit tandem ſenex poſt triennium, cum fortè potatio eſſet in ædibus ipſius: ſeruus autem qui hoc reſciuerat, cum in Piræeum abijſſet piſcium cauſſa, ſtatim herili filio indicium facit. Sed erat unus in ſodalitate

dalitate ebrius, qui diſcedere non uolebat. Ne *igitur in-ter turbas ſenex ſuperueniret, capit hoc conſilium ſer-uulus, occludit foris ædes, & obuiam procedit ſeni, & perſuadet ei ædes eſſe infeſtas monſtris mortuorum.* Et *cum daniſta debitam pecuniam peteret, ait illam ara-boni datam uicino, cuius domum filius emerit. Sed mox de ſeruis aduerſitoribus, & de uicino rem omnem ſe-nex cognoſcit, & iratus ac inprimis dolens ſe ad illum modum ludibrio à ſeruo fuiſſe habitum, tandem à ſu-perueniente ſodali filij exoratur: ut & filio ueniam det, & ignoſcat ſeruo.* Nomina *perſonarum ſunt hæc:* Tranio *uel* τρανίων, ἀπὸ τοῦ τρανοῦς, *quod ſignificat li-quidum &* planum: *uel* ἀπὸ τῶν τρανίων, *id eſt ſedi-libus.* Grumio *(hæc enim ſcriptura in noſtris extat) fortè à grummis,* Græca *forma. etſi &* γρουμοὺς, *inter-pretantur* στροβίλους, *id eſt turbines, uel fructus pinus.* Item γρώνους *interpretantur uas quoddam coriaceum, & eos qui cum loquantur, non audiant. item cauernas rupium: hinc etiam* γρωνίων *eſſe poſſet. item* γρουνοὺς *interpretantur crates, unde eſſet* γρουνίων. φιλολάχης, *à ſtudio ſortis.* φιλημάτιον, *ſuauiolum.* σκάφη, *linter.* καλλιδαμάτης, *formæ domitor.* δέλφιον *unici ſigni-ficatione interpretari nunc libet.* Nam *ueteres* Græci, *ut annotauit* Macrobius *libro primo* Saturnal. δελφὸν *unum & ſolum uocarunt.* Forma *autem neutra fœ-mininorum nominum eſt apud* Græcos, *ut ſcimus.* Theuropides, *erit* θουρωπίδης, *quaſi* θεοῤῥωπίδης: *haud ſcio, de qua ſignificatione* τοῦ ῥώπου, ἢ τῶν ῥωπῶν. Plautus *certè tertiam à fine longam fecit.* Poterat *alicui etiam in mentem uenire, eſſe hunc* ταυρωπίδην, *forma*

Q Q manife-

manifeſta à tauro, ſignificatione aſpectus trucis, uel etiam θηρωπίδην. σίμων, *denominatiuum* ἀπὸ τοῦ σίμου. Daniſta, ὁ δανείστης, *argentarius, fœnerator, cuius nomen eſt, ut puto,* σατυρίδης. φανίσκος, ἀπὸ τοῦ φανοῦ, *id eſt face. Seruus alius & puer, ſunt* ἀνώνυμοι. *Fit mentio in fabula, &* Diapontij. *is erit* διαπόντιος, *marinus: &* Demiphontis, *qui* δημοφῶν, *lux popularis.* Et φιλονίδου, *patronymica hoc nomen forma factum eſt* ἀπὸ τοῦ φίλωνος: φίλων *autem* παρώνυμον τοῦ φίλου. *Hæc fabula non ſolum mendoſè edita eſt plurimis in locis, quemadmodum & aliæ omnes: ſed diſsipatis etiam uerſibus, & diſtractis ſcenis, ut ſaltem in reponendis quibuſque in ſuum locum operam nauaſſe uideri debeamus.*

Argumēti & primæ ſcenæ uerſus ſunt τρίμετροι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι, *& unus* δίμετρος.

320 Deliciæ populi.) *Sed* συναιρέσει *pronunciandum popli, ut uincli: ut numeri conſtent.*

Pollucibiliter.) *opiparè. Nam de eſculētis & potulentis, Herculi decimam dabant, idq; polluceri: & conſecratum quod fuerat, polluctum dicebatur.*

321 Superior quàm herus.) *Reperta in noſtro libro curauimus exarari. ut mox, facetis uictibus, id eſt lepidis. plana ſcriptura extat in noſtro libro.*

Date æs, ſi non eſtis.) *Et hanc ſcripturā expreſſam de noſtro libro edi uoluimus. Quæ ſi uera eſt, ſenſus erit, ut Grumio pecuniā poſtulet, qua ipſe pabulū comparet, ſi dare ipſi recuſent.*

Tace atque abi rus.) *Expreſſa ueterum librorum ſcriptura. Quidam quo magis probaret eſſe alie*-

nis

nis pedibus uſos Comicos Latinos*, maluit, abi tu rus.* *Sed de pedum ratione ſententia noſtra ſecundum ueterum grammaticorum doctrinam expoſita eſt.*

322 Periere.) Et *hoc planè in duobus uetuſtis, quos nacti fuimus, libris ſcribebatur: neque putaui eſſe mutandum.*

Recordatus.) *Verſus huius ſcenæ ſunt confuſi & dubij numeris*, τρίμετροι & δίμετροι καταληκτικοὶ, *etiam* τετράμετροι.

Simul.) *Hoc loco ſpaciolum reliquimus, cũ quid de ueterum librorum literis fieri poſſet, non reperiremus. Quæ ſunt tales, gnaruriſuo. cõminiſcantur igitur aliquid, & quærant alij quoque. Venit tamen in mentem, legi poſſe, gnaros uos: aut de antiquo uerbo, gnaritos uos uolo.*

324 Iampridem.) *Verſus ſunt huius ſcenæ* τετράμετροι καταληκτικοὶ, ἱππωνάκτειοι, *uſque ad hunc, Cedo mi ſpeculum. nam ille, & reliqui deinceps* τροχαϊκοί.

Defæcatam.) *Vt in Aularia, animo defæcato.* *Et mox, horno, aduerbialiter: id eſt, hoc anno.* E *quibus quid iſti correctores fecerint, cognoſcatur de ipſorum editionibus.*

325 Hæc oppido ædes.) *In genere fœminino numero plurali hæc, ut* Eunucho*: Continuò hæc adornant ut lauent.*

327 Qom uidebũt.) *Hic uerſus erit* τρίμετρος, *ſed de unius exempli lituris ſuſpicor perfectum illum non eſſe.* Ac *deeſt fortaſſe benemerenti, ut uerſus ita integer futurus ſit:*

Quando uidebunt gratiam bene merenti referri.
Ac propemodum non dubito, quin hoc uerum ſit.

328 Suo quicq;.) *Quod in noſtris libris reperimus, id edi curauimus*. Nonius *capillum legit in genere neutro. uide an capillum ſatis compoſitum ſit.*

329 Quæ uos dote meru.) *Meruerunt, penultima breui: ut, Steteruntq; comæ. id eſt, quarum proprij eſtis dotis cauſſa.*

331 Aduorſum uenire.) *Verſus ſunt huius ſcenæ confuſi & dubij, numeris τρίμετροι καταληκτικοί.*

332 Iuppiter.) *Huius ſcenæ epitaticæ uerſus ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ εἰς συλλαβὴν καὶ συζυγίαν τροχαϊκήν, omnes præter ultimos 23. ſenarios iambicos.*

Qui haſtis trium.) *Falæ, inquit* Nonius*, turres ligneæ, & à falis falaricam factam eſſe, idem ait. de conductitijs igitur militibus, quiq; caſtellorum aut oppidorum oppugnationes aggrediuntur, mercedesq; ex ea opera capiunt, nunc* Plautus*, ut puto, locutus fuit.* Corre*ctiones & mutationes aliorum nihil moror.*

Adeſt obſon.) *Et in hoc, & alijs uerſibus tam συναλοιφαῖς quàm διαιρέσεσιν,* explicãdi numeri ſunt, *quod nos iudicio uniuſcuiuſq; relinquere potius, quàm inſerendo aut detrahendo aliquid numeros fulcire uoluimus.*

334 Clauim Laconicam.) *Manifeſta ſcriptura libri noſtri. & in* Epitoma Stephani *mentio fit κλειδὸς λακωνικῆς, &* Euſtathius *in ſecundum* Iliados*: ἐστὶ δὲ καὶ κλεὶς λακωνικὴ κυνόδοντά τις. & θεσμοφοριαζούσαις, κλείδια λάκωνικὰ κακοηθέστατα.*

Habeo

335 Habeo Neptune.) *Verſus huius ſcenæ ſunt Senarij Iambici. Duo* δίμετροι, *ſi tamen hi integri ſunt: id enim in dubio relinquere malo, quàm incerta re aliquid architectari emendando. Sunt & ſequentis mox ſcenæ uerſus Senarij Iambici.*

339 Sicut me.) *Si nihil deeſt, admodum ſanè hiāt numeri in hoc uerſu.*

340 Saturites.) *In noſtris ſartirites. fortaſſe ſaturides uerum ſit, id eſt* σατυρίδης.

Redetur.) *Antiqua forma, non geminata muta.*

341 Externatum.) *Hæc noſtra coniectura. nam in ueteri libro legitur, te extentatū. De his igitur quæratur amplius. ſed paulo antè eripite, pronunciandum erpite: ut ſurpuit, ſurripuit.*

342 Talentis magnis.) *Paulo pòſt facit mentionem debiti reliqui octoginta minarum, ad quas X L. additæ explent CXX. id eſt bis L X. ut minarū numero talentum magnum nō fuiſſe diuerſum uideatur, ſicut alibi diſſeruimus. Quid aūt Seruius dicere uoluerit, & an huc reſpexerit, neſcio, ubi adducit locum Plauti in I X. Aeneidos, & dicit talentum habere libras LXX.*

344 Melius anno.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt* τρίμετροι καταληκτικοὶ *&* ἀκατάληκτοι, *uſq; ad illum, Do tibi ego operam, à quo deinceps* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί. *In ſecundo uerſu aliqui pro quando repoſuerunt quod.*

345 Quid chem.) *Si nihil deeſt, hic erit* δίμετρος *uerſus* καταληκτικός. *Sed, ut fatear uerum, uereor ne multa ſint in hac ſcena non ſatis emendata.*

346 Sub diu haſce.) *Non affirmo uerſum emen-*

datum eſſe, cum lacunæ eſſent in noſtris libris: non audacius tamen à nobis, quàm alijs tranſcriptus eſt. Cætera fideliter ſunt ſecundum ueteres libros expreſſa.

A mani ad ueſp.) *Sic & Seruius in 5. Aeneid. ubi docet aduerbia, ſi nomina fiant, declinari.*

350 Tam placida eſt quàm aqua.) *Liquidè extat hoc in noſtro. Hoc dicit autē, tam placidam quàm mare, cum ſit tranquillum.*

352 Serui qui.) *Sunt τρίμετροι confuſis numeris, καταληκτικοὶ & ἀκατάληκτοι.*

Quam ut meum tergum exſinceratum.) *Secuti ueſtigia liturarum in ueteribus libris ita hæc exarari curauimus, & non longè ſaltem à uero abhorrere exiſtimo. Quod mox ſequitur, uetem, ſuſpectum eſt.*

353 Illi bucede.) *Hæc iam cum his connectenda ſunt, & huc pertinent, id quod manifeſtum eſt. Et eſt præſcripta perſona Phaniſci in ueteri noſtro libro, non Daniſtæ: etſi ibi quoque ſuo hæc loco mota ſunt librarij oſcitantia. Sunt autem uerſus ſimiles uerſibus proximè antecedentis ſcenæ, unusq; δίμετρος eſt. uſq; ad illum, Hic quidem: à quo deinceps τετράμετροι καταληκτικοὶ decurrunt.*

356 Perij hercle.) *Verſus hi ſunt τρίμετροι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι.*

357 Vocis non habeo ſatis.) *Planè hoc in noſtro legitur libro: id eſt, ἀφασία μ' ἔχει. id quod accidit derepentè perterritis.*

Qui homo timid.) *Verſus ſunt huius ſcenæ τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

Patefeci fores.) *Duriuſculè hæc cohærent. ac fortaſſe*

ſortaſſe uerum ſit, ſoris.

359 Aſpice contra.) *Vt Iphigenia Aulidenſi,* βλέψον εἰς ἡμᾶς. *&* Trachinijs, ὄντως βλέφ᾽ ὧδε.

360 Vbi ſomnum.) *Sunt & hi uerſus ſimiliter, ut proxim. antecedentis ſcenæ quadrati* τροχαΐζοντες

Peregrè gaudeo.) *Hic uerſus deficit in fine tribus ſyllabis: id eſt,* καταλήξει τροχαϊκῇ.

361 Nunquid aliud.) *Quod reperimus in noſtris libris, id edidimus. etſi ſanè longiuſculè numeri excurrunt.*

362 Diſpudet iſtam.) *Vix puto plenum eſſe hũc uerſum. Si legeretur,* Diſpudet *dari iſtam ueniam, eſſent omnia integriora.*

Mitte quæſo.) *Si non fine deficitur hic uerſus, numeri ſunt* τρίμετροι, *ſed uerſus eſt* ὑπόμετρος. *Mihi autem* κατάληξις τροχαϊκὴ *uidetur deeſſe.*

IN MENAECHMOS.

HVius argumentum fabulæ uenuſtum eſt, & uarietate quadam delectabile, quæ de ſimilitudine naſcitur geminorum fratrum. Nam Syracuſanus quidam, cum ex ſua uxore geminos ſuſcepiſſet liberos, inter ſe ſimillimos, & unum ex his abductum ſecum ad mercatum amiſiſſet: alter non deſiſtendum putauit, dum requiſitum illum inueniret. Venit tandem Epidamnum, quæ Illyriæ urbs Duracium à Romanis appellata fuit, ibi & ab amica & uxore & ſocero fratris appellatur, quaſi ille ipſe eſſet. Tandem poſt multiplices ludificationes,

& nonnullas turbas, agnoſcitur uterque à ſeruo: & re palàm facta; ſeruus libertate donatur. Nomina *perſonarum hæc ſunt:* Peniculus, *à pene, id eſt, cauda animalium, quarum extrema parte piloſa detergebantur calciamenta & menſæ.* μονάιχμ☉, *animoſus ad haſtæ cuſpidem, quæ eſt* αἰχμή, *id eſt bellator.* ὀρώτιον, *meretricium nomen, ab amore.* κύλινδρ☉, *à uolubilitate coci nomen. Eſt autem cylindros, termes ſuprà infraq; complanatus.* Hanc *figuram deſcribit planicies cum lineis æquabilibus, & rectis angulis, circum unum latus ipſius circumacta.* σωσικλῆς, ἀπὸ τῆς σωτηρίας καὶ τοῦ κλέους, *id eſt, à ſalutari fama.* μεσσηνίων, *erit* ἀπὸ τοῦ μεσσηνίου παρώνυμ☉, *uel* ἀπὸ τῆς μεσσήνης, *ſicut* ἀθηνίων, ἀπὸ τῶν ἀθηνῶν. *Aliæ perſonæ ſunt* ἀνώνυμοι. *fit autem mentio & pueri* Decionis, *ſiue* Latina *ſeu* Græca *forma.* Itemq; Theuſimarcæ, *neſcio cuius ſignificationis dicam. In noſtris quidem ſcribitur* Teuximarcæ, *hoc nimirum eſſet* ἀπὸ τοῦ τεῦξαι καὶ τῆς νάρκης. *niſi fortè eſt* θουσίμαρχ☉, θουσιμάρχη.

Argumenti utriuſq; & primæ ſcenæ uerſus ſunt τρίμετροι ἀκατάληκτοι *iambici.*

364 Ante elog.) *Emendatur hoc ita: Huic argumento antelogium quidem hoc fuit. Vt ſit antelogium prologium, quaſi, anteloquium & proloquiũ. Id quod non improbo.*

367 Id quoq; iam.) *Edi curauimus ſcripturam ueterum librorum: etſi eſt ſententia mihi quidem huius loci obſcurior, ut de emendatione quid affirmem, non habeam.*

Ni

Ni mala.) *Sunt ab initio huius ſcenæ uerſus numeris cònfuſi, τρίμετροι ὑπόβμετροι pleriq;, & δίμετρος ultimus. poſt quem, ab eo cuius initiũ, Nũc adeò ut deinceps decurrũt, τετράμετροι καταληκτικοὶ plurimi.*

368 Catamitum.) *Ganymedem. Sic enim Latini illum nominarunt, quem poetæ finxerunt Iouem in aquilam uerſum rapuiſſe. Homerus, alios deos abſtuliſſe Troi patri, ut uinum miniſtraret Ioui.*

369 Te morare.) *id eſt, tibi moram creas. Perſolum, autem penultima breui uetus eſt, & ſignificat penitus, uel prorſus. ut in Curcul. Perſolæ nugæ meræ.*

Collegium augurum.) *In ueteribus libris, augurum, non reperitur. ideoq; de hoc uerſu quæretur. Sententia tamen ſat uidetur bella eſſe, ut dicat, iam ſe de illa palla relatum eſſe uelle ad collegium augurum, diuinaturo paraſito.*

Vel mane etiam.) *Eſt huius etiam loci ſenſus mihi obſcurior. Ad id quod Græci γλυκὺ uocant, uidetur alluſiſſe. ut ſit mille paſſum ὑφέν. Sed relinquo hoc in medio. Scriptura quidem ueterum librorum expreſſa eſt fideliter. Quemadmodum & uerſu ſequente: Satin ut occur. cum aliquibus, ſtatim, arriſerit.*

370 Anime mi Men.) *Similiter & hi uerſus ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.*

Hodie ut fieret.) *Vel ut in altero, hodie id fiet. pro Ilio autẽ iocans, id eſt pro pugnis Iliacis, & Troiæ expugnatione ſe dicit potare uelle. Aliquibus tamen ſimplici orationis forma placuit hæc contrahi, & ſcribi: In eo uterq; prælio pota bimus.*

Qui impetrant.) *id eſt, quibus copia ſit mei. &*

mox, Facere quas uoui uolo. Tranſlatum & hoc de re militari et imperatoria, qui re bene geſta uictimas quas uouerant perſoluebant.

371 Sitamentorum.) *Id eſt illecebrarum, quibus attrahatur cibus. In altero tamen libro anno ta t ὀ=erat, omentorum, & mox miluinam, uehementem ῥέξιν.*

Sportulam cape.) *Similes uerſus ſunt proximè antecedentum uerſuum.*

Nulla eſt uoluptas.) *Verſus huius ſcenæ ſunt τρίμετροι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι.*

372 Illurios.) *Mutaſſe Latinos Græcorum υ. in ſuum u. notum eſt: ut in Brugib. Burro. Erit autẽ in hoc uerſu, uel Illures ſimpliciter, uel Illurios figuratè κατὰ συνίζησιν, ſicut: quin protinus omnia. Ex ἰλλυρ autem Græcis eſt, & ἰλλύριος.*

373 Bene obſonaui.) *Sunt & hi ſimiliter uerſus Iambici Senarij.*

Sacri ſinceres.) *Sacres aliqui. Atq; ad hunc cogitando locum reſpexit Varro de re ruſtica libro ſecundo. quos appellat Plautus, cum ait quæſti ſunt porci ſacres, ipſe indicans hanc fabulam.*

375 Sine fores ſic.) *Verſus ſunt numeris permiſtis, ac confuſis τρίμετροι καταληκτικοὶ, & μονόμετρ⊕ unus, uſque ad hunc, cuius initium, Qui cum hæc mulier: à quo deinceps ſunt reliqui τετράμετροι καταληκτικοί.*

377 Iam gratia eſt.) *In altero libro, Tamen gratia eſt, quæ eſt formula negandi, ut in Moſtellaria, de cœna facio gratiam.*

Iterum

Iterum Panthia.) *De his Siciliæ tyrannis nihil habeo compertum. Sed tyrannicam illa uult enarrare ſucceßionem.* Hiero *quidem* Priſcus *filius* Dinomenis *fuit, & alter poſterior* Hieron *filius* Hieroclis. *Sed hæc* Plautus, *ut alia,* ἀνιστορήτως protulit. Nos *quidem ſcripturam ueterum librorū exprimendam curauimus. alij quid mutarint, ipſi uiderint.*

379 Plus annis.) *Similiter & hi uerſus ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

Non adeam.) *Si eance legas, decurrent numeri expeditius.*

Potin ut quies.) *Verſus ſunt huius ſcenæ* Iambici *ſenarij.*

380 Aequè ac hæres hæreã.) *In noſtris erat, heris: nihil enim lubet dißimulare. ſed hæc ſcriptura mihi uidetur uera.*

381 Menæchme.) *Verſus ſunt iambici ſenarij, & huius & mox ſequentis ſcenæ. audacter autem mutarunt amare, in orare. eſt enim blandientis, ait te amare: ſicut in oratione directa, amabo te.*

382 Veneant.) *Iocatur, cum referenda eſſent ex ſententia mulierculæ, ipſe futurum ait, ut ueneant.*

Ego'ne hic me patiar.) *Scriptura manifeſta in libro noſtro, & uera.*

383 Vt hoc utimur.) *Ab initio uerſus huius ſcenæ* τρίμετροι *ſunt numeris confuſis* καταληκτικοὶ, *&* δίμετροι *tres: uſq; ad hunc, cuius initium, omnibus malefactis: à quo deinceps ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

387 Quis hic me.) *Similiter & hi uerſus ſunt*

τετράμε

τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.

388 Nimis ſtultè.) *Verſus huius ſcenæ ſunt ſenarij iambici, & fit* ἐπίτασις *turbulenta. Nam hæc fabula motoria eſt.*

390 Vt ætas.) *Verſus ſunt* τρίμετροι καταληκτικοί. *numeris confuſis,* δίμετροι *duo: uſq; ad illum, Appellabo hanc. à quo deinceps ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί. *& rurſum ultimi tres ſenarij iambici.*

391 Saluæ'ne.) *Ita ſciſcitabuntur de fortuna domeſtica, deeſt autem res: Saluæ'ne res ſunt?*

392 Lanam carpere.) *In noſtris ita planè legitur. Sed Varro carere legit.*

393 Oculos uircre.) *Expreſſa ſcriptura noſtrorum librorum. ſed aliqui maluerunt, uiere: id eſt, flecti & diſtorqueri.*

395 Iam'ne iſti.) *Huius & mox ſequentis ſcenæ uerſus ſunt* τρίμετροι ἰαμβικοὶ ἀκατάληκτοι.

Edepol.) *Verſus ſunt huius ſcenæ* τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταληκτικοί.

398 Spectamen.) *Verſus huius ſcenæ ſunt* τρίμετροι *numeris confuſis* καταληκτικοί, *unus* δίμετρος ἀκατάληκτος: *& ultimi 5.* τετράμετροι τροχαΐζοντες καταληκτικοί.

399 Per ego uobis.) *Et hi uerſus* τετράμετροι *ſunt* μετὰ τροχαϊκῆς καταλήξεως.

Meum hic in.) *Hic uerſus* δίμετρος ἰαμβικὸς ἀκατάληκτος *erit, niſi quid fortè detritũ eſt. ſentẽtia quidẽ integra, & ſcriptura noſtrorũ librorũ expreſſa eſt.*

400 Bene ora commentaui.) *à mento, ut uidetur, iocans Plautus uerbum hoc fecit.*

401 Saluũ tibi.) *Redibo uel redibbo, id eſt reddã. De antiqui aũt libri mẽdoſa ſanè hoc quoq; loco ſcriptura, fieri etiam potuiſſet redhibeo uel redhibebo.*

Men hodie.) *Verſus nunc deinceps ad finem uſq; fabulæ huius, quadrati* μετὰ καταλήξεως τροχαΐζουσι.

405 Frater & tu.) *Si repetitũ interponeretur uerbum ſalue, & oratio eſſet perfectior, & numeri pleniores, qui abſq; hoc ſunt* διαιρέσεσιν *explicandi.*

Accubui ſcortum.) *In Priſcani libro IX. paulo aliter hæc referuntur. De quo rem in medio relinquo.*

IN MILITEM GLORIOSVM.

IN hac fabula hoc ſolum ratione & arte factum eſſe à poeta uideri poßit, quòd reſpondit καταστροφὴ, *id eſt finis ad principium, ut maximæ gloriæ & intolerabilis cuiuſdam faſtus, exitus ſit turpis & pudendus. Eſt autem in hac fabula præcipuum, pictura imperitæ ſuperbiæ. quam poeta omnibus ſuis coloribus deformatam expreßit, ut liceat hic quaſi in ſpeculo contemplari, ridiculam illam uanitatis imaginem, qua tument & efferuntur animi feroces hominum indoctorum, in aliqua præſertim fortunæ benignitate. Hoc uitium peculiare eſt adoleſcentiæ, quòd hæc ætas in quodam quaſi impetu decurrentis uitæ, & in fiducia uirium exultare ſoleat & efferri, atq; eſſe indomita. Ideoq; negat prudẽtiß. uir Ariſtoteles, idoneos eßе iuuenes ad præcepta uirtutis. Nam de uoluntate & intelligentia illorum hæc quaſi cautibus impacta reſiliunt, neq; poſſunt adhæreſcere. Atq; idem docet nihil referre, utrum aliquis ætate ſit iuuenili, an ingenio. Tales igitur non uerbis*

tantum

tantum ſunt docendi, ſed reprimendi atque cohercendi diſciplinæ ſeueritate, id eſt κολαςέοι, à magiſtris, parentibus, ſenioribus etiam à magiſtratibus, ne ἀκόλαςοι ad omne genus malorum facinorum corroborentur. Quid enim in neglectione aut cõturbatione diſciplinæ fiat, uidemus. Idq; uel hæc noſtra tempora nobis declarare, & demonſtrare poſſunt mala domeſtica, ut aliunde petere exempla neceſſe non ſit. Nam quid obſecro nunc requiri poteſt in omni tractatione bonarum artium & doctrinæ? An uirtutis & ſapientiæ muta eſt oratio? Imò qui iam, quid rectum, quid turpe ſit, concionantur, qui oratione ſua ad cultum ueræ uirtutis & beatæ uitæ homines incitare ſtudent, ij rauci propemodum facti ſunt. Et ita ſunt horum uoces notæ uulgo, atque tam uiles, ut ſit, quàm propè graculorum aut cornicum ſoni. Nihil aut agas, ſi puero ſemper abblandiens, aut etiam interminans, hoc dicas, Mi fili, hoc caue facias, imò ita decet: ſed uerberibus uerba ſunt condienda. neq; ægroto bene conſuluerit medicus, ſi iuſſerit ſe accerſere, ſi opus eſſe uideatur, aut neſcio quid utiliter monuerit, & poſtea reliquerit illum in poteſtate fortunæ: ſed accedere ipſum oportet, & adeſſe, & medicamenta adhibere, uim quandam ſalutarem afferre. Iam uerò cum accedit ad leuitatem ætatis ferocia militaris, tum uerò κακὸν hoc eſt ἄμαχον, & in illud ipſum erumpit omnium temporum infelicitas & dedecus. Ac intelligitur quidem ferè, & moleſtè fertur hæc inſolentia: ſed interim tamen genus iſtud hominũ honoribus, nobilitate, opibus præſtat cæteris. Hæc uideri ac cognoſci non inutile, inq; etiam miſeria intelligentibus iucundũ eſt. Apparet etiam

hinc

hinc Pyrgopolinicarũ & Thraſonũ amentiã tantã communi calamitate temporũ ſuſtineri, ut hoc ſupplicium dare de ſe improbitatẽ & petulantiã & impietatẽ hominũ conſtet, & proponitur horribile exemplũ quoq; iræ Dei punientis furores hominũ ſceleribus et flagitijs furorũ. Nam ubicunq; cõmotis rebus tanquã mari, ſtratiotici, ut ait Plautus, mores inundãt, ibi pietas, religio, bonæ artes, cultus honeſtatis eliditur atq; interit: facultatũ enim & rei familiaris naufragia, ipſaq; mors etiã, tum leuiſsima mala ſunt. Naturæ & legũ iura uiolãtur. non fides, nõ iuſiurandũ ſeruatur. Inſtituta maiorũ conculcantur. Foris omnia ſunt expoſita præſentibus periculis: domus autẽ quæ debebat cuiq; eſſe tutiſs. refugiũ, ea rapinis & iniurijs externorũ patet. Non ibi dominorũ ius & dignitas defendi, non protegi liberorũ caſtitas poteſt, τοιαῦθ᾽ ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Sed redeo ad fabulã. Huius nomẽ eſt Miles glorioſus, de perſona & re factũ. nam glorioſus gloriatorẽ ſignificat, qui eſt ἀλαζών, oſtentator & uanus. Tale autem eſt genus hoc militare hominũ, qualis et Terẽtianus Thraſo producitur, & alij à Plauto alibi. Argumentũ fabulæ, hoc eſt. Auexerat amicã adoleſcentis Attici miles. hoc factũ indicare hero abſenti ſeruus dum uult, capitur à piratis, & illi eidem fortè militi dono datur. ſtatim agnoſcit mulierem ſeruus, negocium occultat, rem omnem hero ſuo Athenienſi literis exponit: quid fieri oporteat, demonſtrat. Aduenit ille adoleſcens Epheſum, ad ſenem hoſpitem uicinum militis diuertitur. Erat utriuſque domus paries communis, quo perforato copia fit amantibus congrediendi. Sed militis alter ſeruus fortè mulierem in amatoris complexu uiderat. Id ne uidiſſe crederet,

deret, dolis ſerui Attici perficitur, qui illi perſuadet adeſſe geminam herilis amicæ ſororem. Poſtea militi perſuadetur, amari ipſum mirificè ab uxore ſenis uicini: itaque dimittit concubinam, & mox deprehenſus per inſidias pro mœcho plectitur. Res geritur Epheſi. *Perſonæ fabulæ ſunt, πυργοπολινίκης, arrogans nomẽ, quo ſignificatur munitionum & urbium uictoria. ἀρτότρωγος, quaſi paniuorus. παλαιστρίων, à palæſtra, hoc eſt ludo. περιπληκτομένης, nomen hoc ea forma factum, qua θηραμένης, ſignificat uim quandã pertinaciæ. σκέλεδρος, lenti et ſegnis habet ſignificationẽ οἱονεὶ σκέλη ἔχων ἑδραῖα, id eſt, minus agiles pedes. φιλοκωμάσιον, comeſſationum amicam notat. πλευσίδης uerò nauigator eſt. Lucrio Græca forma nominis à lucro λουκρίων. niſi quis malit ἀπὸ τοῦ λουκροῦ, quo uocabulo neſcio cuius gentis lingua caluos uocatos annotarunt, deriuare.* De *Milphidippa nõ inuenio quid faciam, ne de* Melphidippa *quidem, ut aliqui ſcripſerunt, etſi μυλφὸν ſignificare Græcis traditur pilorũ in palpebris defluuiũ, ut μυλφὶς et μυλφιδίππη fieri potuerit, qua forma fecere σῦίππην et μεναλίππην. ἀκροτελεύτιον, ſignificat propriè finem uerſus, ut* Thucyd. *in ſecundo ait, iactatum fuiſſe ἀκροτελεύτιον oraculi* Delphici, *τὸ πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον. καρίων, uel appellatiõe gẽtili ἀπὸ τῶν καρῶν, uel denominatione ἀπὸ τοῦ κάρου. ita eſſet ſomnolentus.* Eſt *& alius puer ἀνώνυμος. & fit in fabula mentio τῆς γλυκόρας, quod nomẽ ſignificationẽ habet dulcedinis.*

Argumentorum & primæ ſcenæ in hac fabula uerſus ſunt ſenarij iambici.

408 Geſtit fratrem.) *Liquidò hæc ſcriptura in ueteri*

ueteri noſtro libro extat, metaphora eleganti. Nam *glorioſè nugatur miles, enſem ſuum geſtire cruentari in hoſtibus: id eſt conſanguineum ſiue* ὁμαιμον *habere hoſtẽ.* Dicuntur *autem fratres propriè conſanguinei: etſi aliorum quoq; propinquorum eſt appellatio hæc, ut popularium, in* Pœnulo. *Sed illa etiam iuris eſt, ut* Inſtit. *libr.* 3. *ex eodem patre nati fratres conſanguinei uocantur.*

In campis Gurguſtidonijs.) A*libi aliter hæc dictio legitur.* Nos *ut in noſtro exemplo reperimus, ita exarari curauimus.* Eſt *autem per iocum ficta à poeta à* Gurguſtijs *forma gentili, ut* Chalcedonijs. *ſequentia itidem ridiculè ficta ſunt.*

Ni unum.) *Etſi à* Varrone *hic locus* Plauti *citatur, tamen neq; hoc, neq; antiquus liber ad emendationem quicquam habuit momenti, opis'ue attulit.* In *noſtro quidem libro ſanè legitur ſcriptura manifeſta, non inſanè.*

409 Sycolatronidæ.) Hanc *ſcripturam collegimus de ueſtigijs exemplaris ueteris, & puto ueram eſſe.* Iocatur *autem in nomine* Plautus, *cuius idem eſſet initium quod ſycophantæ.*

Aſsiduo edis.) H*æc quidem ſcriptura extat in ueteribus libris, ſed cum litura: & falſam eſſe exiſtimo, cum longa ſyllaba ſit in uerbo edo, cum ſignificat profero & publico.*

410 Epheſus eſt idem.) In *ueteri,* Epheſum *eſt, mutato genere, ut & in alijs fecerunt* Latini. Pro *idem, fortaſſe ſcribendum ibidem.*

412 Niſi herclè.) H*uius ſcenæ uerſus ſunt quadrati integri quidam pleriq; trochaici* τετράμετροι κα-

 ταληκτι-

ταληκτικοί.itidemq; mox ſequentis.

413 Aggrediar hom.) *Verſus hic in noſtris ueteribus libris mutilus eſt.*

414 Quemadmodum.) *Abſtitit, ſeceßit, & mox annotatur in noſtro libro, Cogitat, id eſt, Curas cō gregat.*

Dexterum ita.) *Veterem ſcripturam fideliter retulimus: ſed uerſus, id quod deminuti quoq; numeri indicant, eſt corruptus.*

Nam os columnatum.) *Alij aliter architectã tes hunc locum elaborarunt. Nos ueterem ſcripturam fideliter retulimus, & credimus eſſe ueram.*

415 *Tibi ego dico.) Alij aliter hunc uerſum perſcripſere. Ego mendoſum eſſe indicare poſſum, correctionem non poſſum. Sic autem habet ſcriptura uetus, Si quis fortè cogitare amplius uelit, an heriatus neſcis.*

Curre in obſ.) *In ueteri eſt, Cor in obſ. Itaq; uenit mihi in mentem, legi poſſe, Coge in obſ.*

Magnam illic.) *Si libeat coniecturas ſequi, ſic cẽſeam hunc uerſum legendum, Magnam illic hãc rem incipißis, Magna munis mœnia. & putarim non longè abeſſe hæc à uero.*

418 Dum ego in teg.) *Scriptura ueteris libri expreſſa eſt. Sed legendum fortaßis, educit.*

420 Præcepta fac ut.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt quadrati* καταληκτικοὶ ἰαμβικοί.

422 Heus herclè.) *Duplex hoc loco ſcriptura eſt uetus, & hæc quam exponi curauimus: et hæc, Heus herclè præſens ſomnium.*

423 Inde ignem in aram.) *Et huius ſcenæ uerſus ſi-*

ſus ſimiles ſunt uerſuum proximè antecedentium, uſque ad hũc, Qui cum niſi tecum. à quo deinceps τροχαΐζουσι.

424 Atiſtuc.) *Verſus mendoſus eſt.*

425 Faciunt ut.) *Verſus eſt mutilus.*

426 Satin abijt.) *Verſus huius ſcenæ ſunt ſenarij iambici.*

429 Cohibete intra.) *Verſus huius ſcenæ ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.

430 Nam bonũ.) *Deeſt & in hoc uerſu aliquid.*

Quis homo.) *Suſpecta ſcriptura totius uerſus.*

Eaq́; expe.te ex. op. S. mihi hon.) *Mei amoris er. eſſet magis, ut puto, congruum. Sed ueteris libri ſcriptura expreſſa eſt. Quod mox ſequitur, emuſsitata, uidendum an non potius amuſsitata, uerum ſit.*

432 Deûm uirtute.) *Hic uerſus emendari à me, neq; de libro ueteri, neq; de* Nonio *potuit: qui docet, uirtute hoc loco ſignificari auxilium.*

433 Tum patricam.) *Relinquo & hanc ſcripturam in dubio.*

436 Cui facetiarum.) *In noſtro libro, mens, nõ legitur, quod aliqui addiderunt, & ſanè non repugnat ſenſus, & numeri aliquid tale requirunt. Ego uerum putarim, Cor corpuſq́;.*

437 Quantas res.) *Verſus ſunt ſenarij Iambici.*

438 Dimiſit.) *Scriptura ueterum librorum ita eſt confuſa & praua, ut nihil certi elici potuerit hoc loco: in alijs pleriſq; fecimus quod potuimus.*

Neque ille hic.) *Verſus numeris imperfectus eſt: & ubi nos, ebibit, repoſuimus, in ueteri ſcriptura erat minus liquida.*

439 Baccabatur auia quas.) *In uetere libro, & hoc loco & paulò antè eſt, caſſabant.Eſt & ama, de quo illud auia factum.*

Si falſa dixis.) *Vbi nos loris fecimus, in antiquo erat ſcriptura ἀτίμαρτος.*

Rem omnem.) *Verſus ſunt & hi ſeptenarij hipponactei.*

440 Tibi dixi.) *Non affirmo aſſecari in hoc uerſu uerum eſſe, ſed de ſcriptura ueteri deprauata hoc effinximus, alij deartuari fecerunt.*

442 Voluptas eſt.) *Verſus huius ſcenæ ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.*

444 Iám ne eſt ante ædes circus.) *Verſus ſimiles uerſuum proximè antecedentis ſcenæ. ſententia autem eſt, An locus pateat ad faciendos ludos. Ac eſt fortaſſe uerum, ubi ſunt ludi faciendi mihi.*

Veſperi iuuat ſuo.) *Hæc ſcriptura in uetere libro uno integra extat, cætera labant, eſtq́; ſcriptura de qua, qui tanquam fieri potius poßit, quàm quid agam.*

445 Palam rem.) *Vel patere. Nam ueterum librorum ſcriptura eſt corrupta.*

449 Quid mihi nunc.) *Verſus huius ſcenæ ſunt iambici ſenarij.*

451 Sequimini.) *Verſus huius ſcenæ ſunt τετράμετροι τροχαϊκοὶ καταληκτικοί.*

452 Summæ nupt.) *Vel ſummè, ut ſit ſummè cupiens. Etſi, ne quid dißimulem, in ueteri libro eſt ſcriptura minus liquida, ut pro ſummè, omen, uel omnino exprimi potuiſſe uideatur.*

454 Hera eccum.) *Verſus ſunt ſeptenarij huius*

ſcenæ

ſcenæ hipponactei.

455 Atque eius elegantiam.) *In uetere libro planè ſcribitur, eius flagrantia. Id quod indicandum pu tauimus, nequid ſcientes præteriremus.*

Quin etiam intrò.) *Expreſſa eſt ſcriptura li- brorum ueterum. Alij tamen fecerunt, Quin eam intrò. & ut dicat Milph. occluſæ ſunt fores. Acrot. Effringam.*

Et mox, adſedeas.) *Eſt ad ſe eas.*

457 Si alium.) *Verſus ſunt ſenarij Iambici.*

458 Quid modi flendi.) *Verſus ſunt τετράμε- τροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

459 Quæſo dum reſp.) *Non affirmare auſim hos duos uerſus eſſe emendatos, minus tamen certè no- ſtra ſcriptura à ueteribus libris abducta eſt, quàm uul- gatæ editionis.*

460 Sed quid.) *Et de duobus his uerſibus quid affirmem, nõ habeo, niſi quidem mutatum genus eſt. mu tilos eſſe hos, manifeſtum eſt.*

461 Ne me mon.) *Verſus ſunt ſenarij Iambici.*

462 Ducite iſtum.) *Quadrati καταληκτικοὶ τροχαϊκοί.*

463 Aliter hinc.) *Oratio inter minas imperfe- cta: intelligetur autem, Non abibis.*

Verberóne.) *Liquidè exaratum hoc in noſtris. Et eſt uenuſta alluſio in mittis & mitis.*

Scelus uir.) *Ita in noſtro quidem libro legitur: ſed ſuſpicor uerum eſſe Scelus uiri, et ſic numeri rectius conſtant.*

IN MERCATOREM.

Eſt & huius fabulæ argumentum futile, & honeſtatis omnis expers, atque nefariè flagitioſum. De quo genere iam aliquoties oſtendimus ſententiam noſtram. Quemadmodum autem uenena prodeſt nota eſſe, ut reſpuantur: ita talia dum legimus, execrari debemus. Sed neq; uenena nulli prorſus uſui ſunt, et hæc ad turpitudinem fugiendam, & conuertendos animos ad timorem Dei, aſſumi poſſunt. Producitur in hac fabula ſenex immitis, & tamen diſſolutus: itemq; alter leuis atq; iners. Hic iniquior in filium iuueniliter peccantem, ſæuis dictis illum in mercatum abigit. Qui reuerſus ancillulam adduxerat, quam animi cauſa ſibi parauerat. Hanc uiſam amare ſenex cœpit, & amatam præripit aſtutè filio, allegato ſene amico, qui illam præmercaretur. nam & ſuum ſodalem adoleſcens ſubornarat, ut illã emeret. Poſtea adducta muliere in ædes ſenis uicini, & conductis cocis ad cœnam coquendam, aduenit illius ſenis uxor; & turbas mouet: & tandem res per adoleſcentes componitur. Χαρῖνος, eſt gratioſus. ἀκανθίων, denominatus ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id eſt, ſpinis. Demipho Δημοφῶν. λυσίμαχος, prælij diremptor. εὔτυχος, fortunatus. Niſi fortè eſt εὐτύχης. πασικόμψη, omnimodo compta & bella. Dorippa, Δωρίππη, ab equeſtri dono. Syræ gentile nomen. πίστος, proprium uillici à fidelitate.

ARGVMEN. I.

464 Ad ſe ſimulans.) *Tmeſis aßimulans, ſicut illud,*

illud,inq; ligatus.Verſus hi & ſequentis prologi et primæ ſcenæ,ubi προλογίζει Charinus, ſunt ſenarij Iambici.

II.

Is peregrè.)*De ueteris libri mendis,hunc uerſum, ſecuti noſtras coniecturas,ita exarauimus.*

AD PROLOGVM.

465 Sim impl.) *Exprimendam curaui ueteris libri ſcripturam. Etſi non fugiebat me, Nonium ſimplicitus legere,& interprètari hoc loco ſimpliciter.*

Et hoc parum.) *Erant in libro ueteri hæc minus liquidò exarata. Itaque de emendatione nihil affirmo.*

Per me ea.) *Verſus inconcinnior numeris. ſed eſt ſcriptura libri ueteris expreſſa.*

Vt conata el.) *Suſpicari libet uerum eſſe, Vt incoata eloquar.*

Interdum mihi ſe.) *Emendatio hæc noſtra, nam in ueteri manifeſtum mendum eſt. ſcribitur enim, Interdum miſſa conloqui. de quo licet quæratur diligentius.*

467 Mutuanti.) *Vel alterius libri ſcriptura indicabat, mutuitanti:id eſt, uolenti ſumere mutuò argentum.*

Omnes labores.) *In ueteri perferis legebatur, ut in dubio relinquamus hanc ſcripturam.*

Vt ſpectaſſet peplum.) *Vetus ſcriptura expreſſa & uera eſt. Nam Panathenaicis magnis peplum, id eſt, pallam conſecrabant Mineruæ Athenis. fortaſſe hic locus Seruio in mente fuit, cum hæc de Plauto addu*

xit libr. 1. Aeneid. Nunquam uenio in urbem, niſi cum infertur peplum. In hoc peplo intexta erat gigantomachia, id quod & in Euthyphrone Platonis indicatur. Celebrantur & alia panathenæa, quæ parua uocabantur, ſingulis annis. Nam magnorum feriæ quinquennales erant. Sed paruorum dies erat prox. poſt βενδίδεια, feſta Dianæ, θαργηλιῶνος τῇ μετὰ τὴν εἰκάδα, quo & ipſo die inferebant in templum Mineruæ peplum, in quo erat intexta pictura Titanomachiæ, ut retulit Proclus in Timæum. Pepli autem oblatio in templo Mineruæ & Homerica eſt Ἰλιαδ. ϛ.

Cis uectatum.) Suſpecta ſcriptura: in ueteri, Semper cis uect. eſt.

468 Cercurum nauim.) τὴν κέρκουρον & τὴν πάρωνα, Græci nauibus nomina fecere ἀπὸ τῆς κερκούρας καὶ τῆς πάρου.

Ex ſummis opibus.) Verſus ſunt τετράμετροι ἀκατάληκτοι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

473 Miris modis.) Senarij ſunt iambici.

474 Profectò ego illum hirc.) Senarij ſunt iambici.

475 Senex uetus.) Expreſſa ueterum librorum ſcriptura eſt hoc etiam loco. Venire tamen alicui in mentem poßit, uerum eſſe, uictus.

476 Ah ne di ſiuerint.) Facilè potuit de ſcriptura ueteris libri hæc lectio colligi. Fuit autem prouerbialis deprecatio hæc ueteribus, Ne di ſiuerint, uel, ut Plautus ſæpe, Sirint. hoc Græci dixere, μὴ γένοιτο.

Homo me miſ.) τρίμετροι ſunt συγκεχυμένοι: i. confuſis numeris, καταληκτικοὶ & ἀκατάληκτοι: uſq; ad cum:

ad eum: Quid illoc eſt, quod ſolus ſe. fa. Fi. Vnde deinceps τετράμετροι *procedunt* καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες. *Quorum ſimiles ſunt & ſequentis ſcenæ uerſus.*

480 Cui emitur.) *Vel, Qui mercatur. Et paulo antè, hic commodis poſcit. Plana ueteris libri & uera ſcriptura. Vt in Aſinaria uiginti argenti commodas minas, quæ ut opinor precioſiores fuerunt uulgaribus, ut Aeginetticæ, deq; his magnum talentum cõfectum, ut alibi diſputauimus.*

484 Generis Græci eſt.) *Pecus quoddam Græcum dixerunt. Sunt huius ſcenæ uerſus tetrametri catalectici hipponactei.*

485 Te colloces.) *Hos uerſus perſcriptos confuſe in ueteri noſtro, confidimus nos ita emendaſſe, ut propemodum integritati reſtitutos eſſe affirmare auſimus. etſi pro poteſtur, poterat uenire alicui in mentem, ſcribendum eſſe, poteſtas eſt. Sunt autem uerſus huius ſcenæ ſenarij iambici.*

486 Quid ſi igitur.) *Si unum aliquem cocum, ſi hoc factum placet, arripiamus.*

487 Sum'ne ego homo.) *Verſus huius ſcenæ ſunt tetrametri catalectici trochaici.*

490 Quoniam à uiro.) *Verſus ſunt* τρίμετροι *iambici* ἀκατάληκτοι. *Eiuſdẽq; modi deinceps oẽs uſq; ad hũc: Limen ſuperũ inferũq; ſalue, ſi. & ua. unde deinceps oẽs reliqui ſunt tetrametri catalectici trochaici.*

493 Quin abi.) *Numeri minus expeditè procedũt.*

499 Vt me bene iuuetis.) *Etiam erat minus liquida hoc loco ſcriptura in ueteri libro: &* Nonius *adducens hunc locum, tutetis legit: id eſt, tutemini.*

500 Cupida ciuit.) *Id eſt, non ſum eius cupidus ciuitatis.al.cupita. Inſerta autem paulo antè in alijs libris, ut à quo ſanè dicere non habeo, ita Plautina non eſſe affirmo.*

501 Nubis ater.) *Hic uerſus fine & prox. initio caret. nam etſi erat aliquid perſcriptum in ueteri libro, tamen nihil conſentaneum de illo comminiſci potui.*

Porrige brachium, prænde.) *Sed numeris aptius, prehende:*

Sta illico.) *Etiam hic uerſus uix integer eſt, ſibiq; reſtitutus.*

504 Mentitum eſt.) *Ita in noſtro libro. poßit tamen eſſe,* Mentitu'ſt, *id eſt,* Mentitus eſt.

Zacyntho ſic.) *id eſt, in Zacyntho: nam hæc inſula eſt: niſi fortè oppidi nomen accipiatur, ut,* Rhodũ uenimus. *Sed his uariè eſſe* Latinæ *linguæ autores uſos, non eſt ignotum.*

Iam redij.) *Rediui ſi legatur, numeri fuerint pleniores. & mox,* Properas: *pronũciandum* κατὰ συγκοπὴν, Propras.

505 Vix uiuus ſum.) *Huius uerſus expreßio mihi ſuſpecta eſt. Nam de ſcriptura mendoſa illa quidem, ueteris libri hæc repoſita eſt.*

Cette dextras.) *Planè & uerè in ueteri libro hoc uerbum perſcribitur. Eſt autem cette, cedite. & adducit* Nonius *ex* Ennio, *Cette manus ueſtras, measq; accipite.*

Suapte culpa genere cap.) *In genere, ut uidetur, mendum eſt. genium fortaſſe legi poßit, aut ſimile quid. Sed quæramus an mendũ ſit in uerbo capiunt.*

IN PSEVDOLVM.

HVius fabulæ laudatio extat Ciceroniana, in cuius Catone ipſe Cato dicit: Quàm gaudebat bello ſuo Punico Næuius, quàm Truculento Plautus, quàm Pſeudolo? Ac eſt Truculentus quidem ita deprauatus, ut nulla alia fabula fabularum Plautinarum magis, tam in expreſſis, quàm manu ſcriptis libris. Pſeudolus autem & beneficio ueterum librorum, & noſtra diligentia, maxima ex parte reſtitutus integritati, facilè probat lectori ſe non ſine cauſſa tantopere placuiſſe Ciceroni. Argumentum eſt uariū & planè mirificū. Senes duo ſatis cōmodi. adoleſcēs amore perditus. Seruus ueterator & fraudulentus. Leno ſceleratus & perfidus: à quo per fallacias ſubitæ occaſionis abducitur amica filij herilis cōſilio ſeruuli. Hæc exponūtur admodū copioſè & luculentè, cū actione multiplice. Perſonarū nomina ſunt, ψεύδολος, qui totus ex mendacijs cōpoſitus eſſet. καλλίδωρος, à formæ ſeu pulcritudinis munere. βαλλίων, nomen uidetur eſſe ἀπὸ τοῦ βαλιοῦ denominatum, & ſignificare uerſipellē. σίμων, denominatū ἀπὸ τοῦ σιμοῦ. καλλιφῶν ſicut ξενοφῶν ἀπὸ τοῦ κάλλους. ἅρπαξ, rapax eſt. χαρῖνος dictus eſt. φοινίκιον, gentile deminutū. Hedyliū eſt ἡδύλιον, deminutū ἀπὸ τοῦ ἡδύλου, quo nomine Poeta fuit Elegiac⁹, ducto à ſuauitate. αἰσχροδώρα, à turpitudine munerū. ξυστυλὶς, ἀπὸ τοῦ ξυστοῦ, quæ forma fuit porticus in ueterū ædificijs. πολυμαχαιροπλακίδης, glorioſè factum nomen militare à copia enſium, & ſine gentilis appellationis.

509 Prologus hic in̄ ueteri libro (ne quid diſſimulem)

mulem) noſtro, præter ultimos uerſus duos, deſiderabatur, quem tamen antiquum eſſe apparet.

Si ex te tacente.) *Scenæ huius uerſus ſunt ſenarij iambici. continetur autem hac argumentum fabulæ.*

514 Exite agite.) *Verſus ſunt confuſi numeris, tetrametri, unus dimeter. Sed de ueritate huius diſtinctionis nihil affirmo. Et ut uerũ fatear, forma alicubi quædam anapæſticorum in his eſt, qualem & in* Aulularia *notauit* Siſenna, *teſte* Rufino: *ſed conciſam, ut non intelligatur.*

516 Præhibeo.) *Vnde fit præbeo. ſed in altero exemplari erat, perhibeo.*

Factum eſt opt.) *Melius & rectius eſſe puto, factu eſt opt.*

517 En excetra.) *Ita in iracundia appellat illam oleariam amicam, quaſi dicat, tu uipera.*

518 Pſeudole non audis.) *Et hi ſunt tetrametri pleriq;, numeris confuſi uerſus. uſq; ad hunc,* Reſpiciã *iſto precio. Vnde decurrunt deinceps* τροχαΐζοντες τετράμετροι καταληκτικοὶ, *per reliquam totam ſcenam.*

520 Propemodo ut.) *Nolui ſcripturam mutare: propemodum tamen alibi legitur.*

521 Heus tu poſtquam.) *Huius uerſus finis non potuit à me reperiri, qualis eſſe debere uideretur. loquitur fortè de trapezitis.*

525 Poſtquam illic.) *Dactylus eſt. ſuntq; uerſus huius & ſequentis ſcenæ, ſenarij iambici.*

Quantum terra tegit.) *Veterum librorum expreſſa ſcriptura eſt. Terram tegit, aut terra gerit, eſſet planius.*

Cum

527 Cum apud te.) *Non eſt expreſſa ſcriptura ueteris libri, mendoſa illa quidem & hoc loco. Suſpicor ſecundum hanc tamen, non malè ſic legi poſſe initium uerſus, Quoniam apud te parũ eſt fide, id eſt, fidei: uel, Quoniam apud te parua eſt fides.*

528 Meum amare.) *Inculcarunt hoc loco Græca quædam uerba, quæ nimirum ἐπ' ἀκρὰν γλῶσσαν, ut dicitur, ἦλθον. Ego quidẽ nihil tale potui de libro noſtro ueteri colligere. Sed huiuſmodi potius quædã, de quib. tamen & ipſis quærendum amplius cenſeo: Meum amare. PS. negare meum eſt. SI. liberare quam uelit?*
PS. καὶ τοῦτο καὶ τοῦτο nego. SI. ecquas uiginti minas
Per Syc. atq; p. d. dol.
Par. ut auſ. à me. PS. abs te ego auſ?
SI. Ita, quas meo gn. d. q. a. l.
Fateri δεῖ καὶ τοῦτο ναί. PS. καὶ τοῦτο ναί.

Piſtrinum in mundo.) *Id eſt, certum & præſens eſſe. Sic & Chariſius hunc locum adducit.*

Dieculæ.) *Ita ſcribitur in ueteri libro, intelligendum autem eſt ſpacium.*

531 Pro Iuppiter.) *τετράμετροι καταληκτικοὶ ἀκατάληκτοι & ἀσυνάρτητοι.*

Malorũ meorũ.) *Scriptura euidens illa quidẽ ubiq;, ſed dubiũ mihi non uidetur, quin legi debeat maiorum. Depræhenditurq; à diligentib. harũ litterarũ in deſcribendo alibi quoq; permutatio.*

Ignorabilis.) *Sext. Pomp. legiſſe uidetur ignobilis.*

532 Hi loci ſunt.) *Similes uerſus prox. ſuperiorum*

rum uerſuum, uſq; ad hunc, Oſtium pultabo. *Vnde deinceps ſunt manifeſti* τροχαΐζοντες τετράμετροι καταληκτικοί.

534 Diobolarem.) *Plane extat hæc ſcriptura in uetere libro. Sed aliqui doliarē repoſuerūt ex* Donato.

535 Di immortales.) *Forma & hæc manifeſta archilochiorum* τροχαϊκῶν.

Stulti haud ſc.) *Sententia* Theognidea:

ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδέν,
θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον.

536 Dulcia atq; amara.) *Similes uerſus ſuperiorum.*

Euge iam.) *Hoc loco Græca uerba* Latinis *literis malè ſcripta erant in ueteri noſtro libro.* Nos *coniectura huiuſmodi quædam collegimus :* Euge *iam* χάριν, *uel* χαρῖνον οἰωνὸν ποιῶ.

537 Iam gratiam.) *Tam erat in ueteri libro, quod fortaſſe, tamen ſit. Sed eſt deficiens oratio, ut intelligatur, habemus. uerſus autem ſequens numeris uacillat.*

Hic uſitatus.) *Vel fortaſſe, uiſitatus.*

538 Quid ſi opus.) *Numeri in hoc uerſu adhæreſcunt.*

539 Cui ſeruitutem.) *Duæ ſequentes ſcenæ uerſus habent* τριμέτρους ἀκαταλήκτους *iambicos.*

542 Peliam concoxit.) *De Aeſone hoc traditur.* Nam *Peliam concoquendo necauit. Luſit igitur Plaut. ſciens, uel eſt hoc* μνημονικὸν ἁμάρτημα.

543 Coquit ſub linteo.) *Vulgata ſcriptura expreſſa eſt. In uetere libro legitur, coqui ſublincio.*

Si unquam quicquam.) *Verſus confuſi numeris.*

metris,tetrametri.

544 Non prorſus uerum.) *Varro, qui exit in ueſtibulum,quod eſt ante domũ, ſolet prodire & procedere.quod cum leno non faceret, ſed ſecundũ parietẽ tranſuerſus iret,dixit,Vt tranſuerſus cedit,quaſi cancer ſolet,non prouerſus.Apparet Varroni in animo hũc locum fuiſſe. Eſt igitur prorſus* πρόσω, *& tranſuerſus* πλάγιος. *Niſi Varro etiam prouerſus accepit ut nomen.*

Minus malum.) *Tetrametri catalectici trochaici,uſq; ad hũc,Miles lenoni. unde deinceps huius ſcenæ, itemq; ſequentium quatuor uerſus ſunt ſenarij iambici.*

547 Promiſcam.) *Promiſcã dicebant promiſcuè, inquit Pomp.In ueteri libro promiſca legitur. Sed illud uerum eſſe opinor.*

548 Abs te indeſt.) *Expreſſa ueteris libri ſcriptura:id eſt,abs te inſtipulatus eſt.*

549 Malus & nequam.) *Confuſi numeris uerſus* τρίμετροι *pleriq;. Vnus dimeter iambicus* ἀκατάληκτος*,uſq; ad hunc:Edunt,bibunt. Vnde deinceps ꝓcedunt tetrametri* καταληκτικοὶ, τροχαΐζοντες *per hãc reliquam & proximam etiam ſcenam.*

550 Bene ego ab hoc prædatus ibo, noui, bona ſcæua eſt mihi.) *Hæc ſcriptura extat in uetere libro. Mutarunt autem ſcæuam in ſcænam librarij. Nuper autem incidi in huius nominis interpretationem expoſitam à ſingulari eruditione, doctrina & ſummo ingenio prædito Adriano Turnebo; in Aduerſariorum libro 8. cap. 11.*

555 Quid hoc ſiccine.) *Verſus confuſi trimetri*

& tetrametri, et narratio ſimul ut ebrij inconſentanea.
556 Vox uiri peſſ.) Longè excurrunt hi uerſus confuſi numeris in actione petulante.

IN POENVLVM.

A Pœno Pœnulus eſt forma diminutionis. Pœnus aut φοῖνιξ. In prologo & patruus memoratur. nam Pœnus ille qui introducitur, patruus eſt adoleſcentis, cuius ſunt primæ partes in fabula. Res autem expoſita talis eſt. Quidam adoleſcens Carthaginenſis furtim ſurreptus, auehitur Calydona in Aetoliā, & ibi uenditur ſeni ciui. hic adoptauit illum, & moriēs reliquit hæredem. Amabat adoleſcens puellam popularem & cognatam: patrui enim ea filia erat, quod ipſe neſciebat. Nam prædones ruri depræhenſas duas paruulas filias huius, unà cum nutrice abductas lenoni Calydonio uendiderant in Anactorio, quod nomen loci & oppidi fuit in Acarnania. Cum nihil æqui adoleſcens à lenone de ſuis amorib. impetrare poſſet, uſus ſerui ſui conſilio, inſidias fecit lenoni, ut ille furti manifeſti condemnaretur. Interea indicium fit puellas eſſe Carthaginenſes ingenuas, & pater illarum qui ubiq; gentiū ipſas quærebat, aduenit, & eas agnoſcit, & maiorem natu nuptū dat fratris filio. Perſonæ fabulæ ſunt ἀγοραστοκλῆς, à foro, ſeu forenſibus & nundinalibus negocijs, et fama. Milphio ſimiliter ut ſuprà de Milphidippa, qui ſit dubito, niſi μυλφίων eſt ἀπὸ τοῦ μυλφοῦ. ἀδελφάσιον, factū ad eā formam quā habet φιλοπομάσϊον, habet fratris aut ſororis ſignificationē. ἀντεραστυλὶς, à mutuo amore. λύκος, lupus eſt. ἀνθημονίδης, patronymica forma

ma floridus. κολαβίσκος, ſicut συβίσκος, ἀπὸ τῶν κολά-βων, uilibus panibus: niſi fortè eſt ἀπὸ τοῦ κολλύβου κολλυβίσκος: nã in ueteri libro alicubi collubiſcum legimus. συγκέραστος, de hoc nihil et ipſe habeo, niſi quod apud Varronem legitur. Synceraſtũ eſt omne medulliũ, antiquo uocabulo Græco. Hãno et Giddeneme, Punica ſunt nomina. Fit et Antidamæ mẽtio, qui idẽ eſt ἀντιδάμαρχος, à contradomando & principatu, abbreuiato nomine. Et δημάρχου quoque uocabulo, Græci interpretati fuere tribunos plebis.

Achillem Ariſtarchi.) Ennius ſcripſit Achillem Ariſtarchi, ut adducitur à Nonio, prolato, ære. Sunt autem ſimiliter ut argumenti, ita huius ſcenæ uerſus iambici ſenarij.

Remigare atq.) Finis huius uerſus ex uulgatis libris aſcriptus eſt. In uetere libro uerſus ſic eſt perſcriptus: Remigare, ut æquè mecum ſitis gnarures.

561 Finitor.) penultima breui, dimenſor. & mox, Latinè Plautus patruus: fortaſſe, Plauti patruus.

Vos iuratores.) uel iuratores, uel uiratores, de ueteribus libris.

563 Sæpe ego.) Verſus ſunt iambici huius ſcenæ ſenarij.

564 Gerræ germanæ.) De cæteris nihil potui comminiſci. Nã quod repoſuerunt alij, οὐδὲν πρὸς τὸν ῥυθμόν. in ueteribus libris extant, ſi quis fortè poſſit excogitare aliquid, hæ literæ, hæ decol lyræ lyre.

566 Negocij ſibi.) Verſus ab initio aliquot ſunt τρίμετροι καταληκτικοὶ, confuſis permiſtisq; numeris: aliqui etiã poſtea lõgiores: uſq; ad hunc, Ecquid gratiæ

cum huc. à quo deinceps explicatiores ſunt τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

567 Facere.) *Deeſt aliquid, fortaſſe modũ. In uno ex antiquis libris, qui duo penes me ſunt, reperi faceren niam. Quod indicare uiſum, ſi cui fortè de iſta ſcriptura comminiſci aliquid liberet.*

568 Obulo ærato.) *Alibi, cuius ego nebulæ cyatho.*

574 Quid nunc mihi.) *Verſus huius & mox ſequentis ſcenæ ſunt Iambici ſenarij.*

578 Folia farfari.) *Neſcio an Seruius Aeneid. 7. hunc locum, an alium adduxerit. Farfarſus autem fluuius Italiæ.*

579 Ita me di.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί: *itẽq; mox ſequẽtis ſcenæ.*

580 Hos procos.) *Liquidè hoc extat in noſtro libro. Et antiquum nomen procus eſt, neq; ego ſcripturã temerè mutare uolui.*

581 Digitulis prim.) *Et in Bacchidib. & hic relinquo quærendum, ſit'ne primoribus, an primioribus. Hoc quidem loco numeris, primioribus, conuenit.*

582 Vos quidem hercle commendo.) *Hoc commendo irrepſit huc, factum de ſcriptura ueterum librorum inexplicabili: ſed & illud, Quiqui tamen, ſuſpectum eſt.*

584 Iam iſtuc ego.) *Verſus ſunt huius ſcenæ & duarum mox ſequentium, iambici ſenarij.*

586 Coo.) *Reliquimus ſcripturã ueteris libri. Quomodo autem corripiatur penultima, quærendũ. niſi fortè tranſponẽda uerba ſunt, ut fiat, Coo, Thaſio. Et mox, Vnguentum eccheumatis,* ἐγχύμασιν, *id eſt, Vnguen-*

torum

torum effuſionibus. hæc iſti emēdatores neſcio è quibus zeugmatis è Perſia *uſq; aduexerunt.*

Panem frãgito.) *Planè in noſtris perſcribitur, & ioco dictum apparet.*

589 Id nunc hiſce.) *In altero libro ueteri hoc loco lacuna eſt: in altero extant quædam literis incōſentanea. de quibus tamē cōiectando fieri poſsit,* Cor uritur.

590 Expecto.) *Quatuor primi uerſus* τετράμετροι ἰαμβικοὶ *ſunt* ἀκατάληκτοι, *duo ultimi* καταληκτικοί.

591 Satis ſpectatū eſt.) *Verſus huius ſcenæ ſunt* τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαΐζοντες.

594 Tacitus tibi.) *Sed puto integrum eſſe,* Tacitius: *id eſt, magis tacitum.*

Perdeam.) *Interpoſita litera d, ut ſæpe numerorum cauſſa: id eſt,* Peream.

Quam unam calcem ciuerit.) *Expreſſa eſt ſcriptura noſtrorum librorum: ſed* Nonius *unum calcem legit.*

596 Deos deaſq; ueneror.) *Hi uerſus, & mox hanc ſequentis ſcenæ, ſunt iambici ſenarij: itemq; deinceps tertiæ.* Verſus *qui ſequitur:* Deum hoſpital. *perperam exaratus uidetur, & eſſe uera ſcriptura:* Ad eū hoſpitalem teſſeram hanc fero.

Memorand.) *Scriptura ueteris libri expreſſa eſt, & hoc & paulo ſuperiori loco: etſi puto uerū eſſe, memoradum, ſicut adeſdum.*

597 Creta eſt.) *Translatè dixit per appoſitionē, candidum & fauſtum eſſe ſermonem illum.*

Facies quidem.) *In utroque libro ueteri deeſt*

finis huius uerſus. hũc igitur addet, quẽ quiſq; uoluerit.

599 Nos captatum.) *Neſcio quid addendum ſit, Punicum'ne quippiam an* Latinum: *in noſtris eſt micdi lia, de quo magdalia fecerunt.*

603 Sunt columnæ.) *Huius uerſus initium quale eſſe deberet, de lituris potius, quàm ſcriptura ueterum librorum inuenire certò non potuimus: ij qui ediderunt Plautum, hoc etiam loco audaciſsimè effinxerunt, quicquid libuit. Quòd ſi cõminiſci aliquid & nos uellemus, Hetruſcæ, facere poteramus: ſed maluimus in incerto potius rem relinquere.*

Fuit hodie.) *Huius ſcenæ uerſus ſunt tetrametri, & iambici, & numeris confuſi, itemq; excurrentes aliqui longius. aliqui* καταληκτικοὶ, *tam hipponactei, quàm* Archilochij. *unus* δίμετρος.

606 Etiam me meæ.) De *unius libri lituris fieri potuiſſet, etiam'ne me allatrant canes?*

607 Pœ. Cupite atq; expectate.) *Coniunguntur iſta in uno ex duobus libris antiquis hoc modo :* Te *complecti nos ſine, cupite atq; expectate pater ſalue.*

608 Si ego minam.) *Verſus ſunt ab initio* 25. τετράμετροι καταληκτικοὶ τροχαϊκοί. Reliqui *ſenarij iambici, uſq; ad finem fabulæ.*

609 De glupta mænas.) *Hos tres uerſus maluimus edere mutilos, quàm incertis coniecturis explere. Si quis tamen fortè amplius cogitare uoluerit, is ſciat in noſtris libris legi poſt Sarapis, Sementium: poſt halagora, ſamatum.* Et *mox initio tertij* Alijulpi.

IN

IN PERSAM.

ARgumentum fabulæ eſt exile, amationis ſeruilis, & iocoſum ac plauſibile in lenonis circumuentione. Etiam paraſiticæ leuitatis exagitationem continet, dum Saturio ſuam filiam, cibi cauſſa, non dubitat uẽdere. Nomina perſonarũ hæc ſunt: Τοξῖλος, ἀπὸ τοῦ τόξου, ſicut τρωΐλος. σαγαριστίων, σάγαρις, ſecurim aut enſem ſignificat. Atq; inde erit ſcilicet Sagariſtio. Saturio eſt σατυρίων. Etſi ad Latinũ ſatietatis nomẽ alluſit in fabula Plautus. Et eſt Saturij nomen in oratiõe pro Roſcio Comœdo. σοφοκλειδίσκη, à σοφοκλῆς, σοφοκλείδης, & σοφοκλειδίσκη, ſicut παιδίσκη. λημνισελήνη, à Lemno & luna. In editis exemplaribus eſt Lemniſcelene, hoc fieret à lemniſcis. παίγνιον, à iocis et ludis. Dordalus, ridicula appellatione. uel Pordalus, ἀπὸ τοῦ πορδῆς. Alibi reperi, Dorpalus, hic eſſet ἀπὸ τοῦ δόρπου, id eſt, à conuiuio.

614 Profecto domino.) Senarij iambici.

Qui amans.) Verſus tetrametri acatalecti catalectici, archilochij & hipponactei. Itemq; dimetri, unus & alter.

615 Baſilicè agito.) Hic & ſequens uerſus in ueteri cõiunctim perſcripti erant, itaq; reponendi ſunt.

616 Vſq; ero domi.) Vereor ut hic uerſus integer ſit.

Veterem atq;.) Verſus ſunt ſenarij iambici, eorumq; ſimiles prox. ſequentes.

617 Sed legirupã.) Vereor ut hæc in integrũ reſtituta ſint: ueterũ quidẽ librorũ hæc ſcriptura eſt, niſi q

ibi legitur, Legerũpam. Iniexit aũt, erit iniecerit, figura ſermonis iudiciaria qua & in Truculento uſus eſt.

Infuerit ne feb.) *Apud Sext. Pomp. citatur de Plauto, Inijt te nunquã febris. neſcio ex hoc ne loco, an alio. Nos ſcripturam ueteris libri curauimus exprimi.*

618 In ſcutris.) *Inde ſunt, ſcutulæ & ſcutellæ; ut à culcitra, culcitula.*

Alecis.) *Halex ἰχθῦς τεταριχευμένος, inquit Chariſius. ſed ſignificat uocabulum & ſalſuginem atque liquorem, in quo piſces ſeruantur. Eſt fœminini alex, & neutri, alec.*

619 Megaribus.) *Pro Megaris, metaplaſmo ſanè mirifico, ſi locus mendo uacat.*

620 Quaſi ſit.) *Verſus eſt incõcinnior. Planè decurreret, ſi legeretur, & tu gnatam tuam.*

Locauerunt.) *Sicut, Steteruntq; comæ, penultima correpta.*

Satis fuit.) *Tetrametri uerſus ſunt confuſi & obſcuri numeris, unus dimeter.*

621 Satin hæc.) *Tetrametri acatalecti & catalectici trochaici. Itemq; hipponactei. Vnus dimeter, caduntq; multi in formam anapæſticam.*

622 Commorandum.) *Nõ eſt abſolutus uerſus. De ueſtigijs ſcripturæ ueteris, puto nõ malè legi poſſe, mihi hic apud hanc obijcem.*

624 Neq; tipulæ.) *Sextus Põpeius beſtiolam eſſe hãc ait leuiſſimã. In noſtro libro legebatur ſtipulæ. Sed tipulæ, uerũ eſſe puto. hãc ἀσκαρίδα eſſe Gazæ placuit.*

Ioui opulẽto.) *Huius & ſequentis itẽ ſcenæ uerſus genere tetrametri ſunt, numeris obſcuri & confuſi.*

Hoſti

Hoſtibus uictis. *Manifeſta eſt forma hipponacteorum uerſuum.*

627 Boues bini.) *Id eſt, iuga boum.*

628 Quæ res.) *Senarij ſunt iambici huius, & quatuor ſequentium ſcenarum.*

631 Edax, fugax, furax.) *Legendum, furax, fugax, ut numeri conſtent.*

633 Cui homini.) *Verſus tetrametri confuſis numeris, uſq; ad hunc, Tace dum pel. A quo deinceps epiſtola exponitur ſenarijs iambicis. Poſt quam ſequuntur archilochij trochaici. Et rurſum epiſtolæ uerſus iambici ſenarij, & poſtea iterum trochaici.*

634 Tace dum pel.) *Fortaſſe, faciam iam.*

636 Cōcinna eſt facie.) *Fortaſſe cōcinna eſt facies.*

Satin Athenæ.) *Verſus trochaici archilochij.*

637 Euortes tuo arb.) *Fortaſſe, tuo arbitratu tu hom.*

Venient ad te.) *Finis uerſus deeſt. addi poßit tale quippiam, non uolo. aut, Vetuero.*

640 Quoiuſmodi.) *Hoc loco de orthographia nominum, in quibus ſcribitur litera q. aliquid dicendū putauimus. K & Q conſtat eſſe poteſtate pares literæ C, & harum figuras ueteres Latinos non uſurpaſſe ſcribendo. Poſtea ſequente a, max. breui, K præpoſuerunt, ut Karthago, Kalamitas, etiam Kalēdæ. Sequēte autem u, placuit uti litera q, non c. ut, Quando, quis, quare, quoniam, æquus. hoc ferè obſeruarunt, ſi eſſet u pro conſonante. Sed fecere tamen & in alijs. ut, Qur, qum, hirqus, coqus, quius. In quæ poſtea inferſerunt alterum u, ut eſſet pronunciatio plenior: ita factum*

 fuit,

fuit,quur,quum, hirquus, coquus, quuius: & antiquo more quom,coquos, quoiuſmodi. Cum in his omnibus & ſimilibus appareat ſuperfluum eſſe alterum u.

641 Abi argent.) Si eſt hic uerſus integer,ut mihi eſſe non uidetur,erit dimeter iãbicus καταληκτικός.

Aedepol ded.) Verſus huius & ſequẽtium quatuor ſcenarum,ſunt iambici ſenarij.

644 Hoſtibus uictis.)Tetrametri numeris confuſi & obſcuri.

645 Accedin ad me.) In altero noſtro libro hæc: in altero talis ſcriptura erat,Accede ad me,atq; amplectere ſis.

646 Bene mihi.) Hilaritatis εὐφημία,ut & in Sticho,Bene nos,bene te,bene me. Faſtorum ſecundo: Et bene nos,bene te,patriæ pater optime Cæſar.

Et ei qui hoc.) Deficiens fine uerſus.

Qui ſunt.) Admodum incerti numeris hi uerſus ſunt tetrametri & trimetri, σὺν καταλήξεσι. Neq; de diſtinctione tamen quicquam affirmo.

IN RVDENTEM.

NOmen fabulæ ex re inditũ. Introducitur enim piſcator, qui in mari cepiſſet uidulum. Funes autem nauticos atq; omnino grãdiores,rudentes dixere,ſiue à ſtrepitu,ſeu aliunde. Argumentum tale eſt: Amiſerat paruulã filiam ciuis quidã Athenenſis, ea uenierat lenoni Cyrenenſi. Pater huius iniurijs ciuiũ ſuorum ad inopiam redactus, Athenis ſeſe Cyrenas contulit. Puellam Atticam amat adoleſcens, & redimere uult:

uult:ſed leno ſpe maioris lucri clanculum in Siciliam aueheгe illam parat. Naui autem fracta, hæc, & altera quædam conſerua ipſius, ad littus Cyrenaicum in ſcapha referuntur: et leno reijcitur fluctibus, omnibus quæ ſecum auferre uoluerat bonis amiſſis. Repertas autem puellas ad fanum Veneris, abducere uult. Quibus ſenex ille Atticus opem fert, ignarus adeſſe filiam ſuam. Superuenit adoleſcens, lenonem in ius rapit. Senex filiam ſuã cognoſcit de crepundijs, inditis in uidulum, quem ſeruus ſenis illius de mari extraxerat captum reti. Tũ proſpera contingunt omnibus omnia. Vxorem ducit puellã amatam adoleſcens. Lenoni pecunia redditur, & piſcatori conciliatur libertas. Perſonæ huius fabulæ, σκεπαρνίων ab aſcia, etſi à tegendo quibuſdam placuit σκεπαρίων. πλουσίδιππος, nomen magnificum à nautica & equeſtri re. Dæmones, uel eſt δημόνης, popularis, uel δαιμόνης fatali nomine. παλαίστρα, à ludo. ἀμπελίσκη, à uitibus. πτολεμοκρατία, fœminina forma ἀπὸ τοῦ πολεμοκράτης, qua uoce ſignificatur uictoria hoſtium. τραχαλίων, ſeruile nomen, uel à collo, uel à curriculo potius factum. λάβραξ, ſignificat lupum piſcem. χαρμίδου appellatio à lætitia ducitur. γρῖπος, quem & γρῖφον dixere, à reti. & ambages & captiones uerborum ſeu ænigmata, griphos uocarunt. γριπεὺς, piſcator eſt apud Theocritum. γρυπὸς autem is eſt, qui naſum aquilinum habet, qualis in Cyro celebratus fuit.

650 Suipte.) *Vt ſuapte, ſuopte. Verſus ſunt ſenarij iambici.*

Nomen Arcturo.) *Arcturus propriè dicitur ad femur ſeu coxam Bootæ, quem & ἀρκτοφύλακα nominant,*

nant, ſtella clara, tempeſtatem ciens occaſu ſuo, qui eſt autumnalis. Eſt & hiemalis ueſpertinus. Sunt uerſus ſimiliter iambici ſenarij.

Ambulo interd.) *Hiatus inſuauis. Fortaſſe legendum, Ambuloq́;.*

651 Alium alia.) *Fortaſſe, Alium quidem alia.*

Donis hoſtijs.) *In uno exemplari ueſtigia indicabant ſcriptum fuiſſe hecatombis hoſtijs, quam ſcripturam nequaquam poſſum improbare.*

652 Ludo fidicino.) *Vt Ciceroni Oratore modi tibicini.*

Confracta eſt ibus.) *Vt in Milite, Ibus denumerem ſtipendium.*

653 Pro di immortal.) *Et hi & ſequentis ſcenæ uerſus ſimiles ſunt ſuperiorum, Senarij iambici.*

654 Filiolam ego.) *Fortaſſe uerum, habiui. itaq; eſſent numeri pleniores, niſi legendum aliquis putet, eanc.*

Virile ſexus.) *Annot. Non. ueteres uſurpaſſe ſexus, etiam in neutro genere.*

654 Exigisꝗ arũd.) *Alibi, exagitasq́; arund. perſcriptum planè. Si cui autem exicas placet, id quod mihi nequaquam improbatur, erit illud, deſecas aut excidis.*

655 Quicꝗ hercul.) *Suſpecta mihi eſt lectio huius uerſus.*

656 Si ad ſaxum quod.) *Alibi, quo.*

Cœnaturus ueſp.) *In antiquo, Veſperi, legebatur. reliqua omnia ſunt fideliter expreſſa. In Milite ſimiliter dictum uideri poßit, Qui ueſperi uiuat ſuo.*

Nimio homin.) *Senarij miſti, multi ἀκαταληκτικοί.*

κωλ. unus dimeter iambicus. Sed de ueritate numerorum nihil affirmamus, hoc quidem loco. Similiter & ſequẽte, digeſti ſunt uerſus in primos nouem ſeptenarios, reliquos ſenarios confuſos. quales ſunt et proximè ſequẽtis ſcenæ.

660 Omnibus modis.) *Verſus ſeptenarij, ſiue tetrametri iambici catalectici, qui hipponactei uocantur.*

Hiſce hami.) *Vt Terentius:* Hiſce *hoc munere arbitrantur ſuam Thaidem eſſe.*

Ex urbe.) *Principium huius uerſus obliteratum erat in noſtris libris. Suſpicari licet, deeſſe Cotidie, aut, Illinc uſq;, aut neſcio quid tale.*

Oſtreas.) *Græci in neutro genere dixerũt oſtrea, & interdum penultima longa, ut in hoc uerſu,*

Τοὺς μῦς αἶνος ἔχει μεγάλους ὄστρεια δ' ἄβυδος.

iam conchas Græci etiam genere maſculino protulerũt. Plaguſias quas dicat, quærendum. Niſi pelagias ſignificare uoluit, ut ſit, pelaguſias. Striatæ quidẽ à teſtæ quaſi ſcalptura nominatæ & apud Plinium ſunt.

Aggredimur.) *Ab aggrediri, penultima producta.*

Animo aduorſaui.) *Similes uerſus uerſuum proximè ſuperiorum, ſicut & hanc ſequentis ſcenæ.*

661 Silanum.) *Veterem ſcripturam nolui mutare. Et ſi non ignorabam, Silones quoq; eſſe, ut Frontones, Naſones.*

663 Credo herclè.) *Ita reliquimus hunc uerſum ut ſcriptum inuenimus, conſtantibus quidem numeris. De ſenſu quod indicem, certi nihil habeo: niſi*

ad car-

ad carcerem fortè alluſum eſt, ubi damnatis uenena da-bantur. ut ſit, ἐν ἀναγκαίῳ datum quod biberet.

